Hunc talem virum tantis virtutibus ornatum desideramus. Praesentes eas pauci animadvertebant, sublatas ex oculis quaerunt omnes. Nulla scilicet in eo conspiciebatur, quod fieri amat, ubi homines plus sunt, quam videntur. Quamquam alterni gressus, quos, baculo nixus, incedendo tentabat, beneficium Neerlandiae redditum testarentur, nemo ex isto ore causam debilitatis audivit. Plura de Wttewalo dixi, quam initio proposui. Nam liber Thorbeckii est in omnium manibus, multa scriptus elegantia. Imago autem et consuetudo sic expressa sunt, ut filii secum in solitudine legentes, patrem etiam vivum ante oculos sedentem se ipsi adspicere putarent. Neque miror. Nam in eo libro et ipse Wttewalum agnovi, qui unus fui ex amicis, quos, morbo

oppressus, quum mentis compos et praesens moreretur, extremum salutari mandavit. Tu quoque, bona et pia anima, a nobis ave atque vale. Sequemur te, quo ordine Deo erit visum. Interea magna perseverantia contendemus, ne, sicuti tu non frustra vixisti, et nos olim non frustra vixisse dicamur.

Huius animi, vos, optimi adolescentes, et hic eritis testes, deinde ipsi documenta, quum praeceptorum vitaeque in Academia transactae memoriam grato sermone usurpabitis. Qui testes estis, manete iidem adiutores, et quod fecistis, facere ne cessate. Primum ac praecipuum fuit, ut, cuius disciplinae causa quisque venit, huius addiscendae viam et rationem impiger et laboriosus sequeretur. Qui praeterea satis animi et probitatis habuerunt, ut, spreto ambitu, aliquid eximium praestarent ipsi, hos ego arbitror esse laudandos, si gloriae cupiditatem sine rerum graviorum damno explere potuerint, felices.

Tales, puto, ad me venient duo iuvenes, ut singularis industriae mercedem, his solum legibus non parvi pendendam, accipiant. Quare et quibus modis hoc consecuti esse dicantur, auditote scribam Senatus Academici Facultatum judicia recitantem:

JUDICIA.

Ego primum vobis, Gerarde de Vries, Abrahami, cari mihi nominis, fili, et Samuel Sarphati, Academiae nostrae alumni, quantum meremini, quod non exiguum est, tantum gratulor. Ioaunes quidem Ludovicus Schlimmer, Medicinae apud nos studiosus, sortem habuit infelicem, et solatio eget. Facultas Medica librum illius aureo numo dignum censuit, antequam auctorem cognoverat. Cognito, etiam si voluisset, numum decernere non potuit, quia legitimum tempus in Academia non transegit. Si me audit, animum propterea non demittet, sed res suas, ut incepit, ita peraget. Deinde honoris causa nomino Andream Cornelium van Heusde, Hermannum Henricum Kemink, Ultraiectinos, et Ioannem Goldschmid Nanninga, Groninganum, qui, quod viribus deësset, voluntate suppleverint.

Denique, quod precatus sum a Deo Optimo Maximo, illo die, quo Magistratum suscepi, ea res ne mihi Academiaeque male atque infeliciter eveniret,

sed dignitatem tueri, salvoque et incolumi sine labe et dedecore successori tradere contingeret; hoc an totum impetraverim, dicere non ausim. Tamen sat multa impetravi, ut animi adversus divinam bonitatem vere grati causas habeam iustissimas. Itaque munus Rectoris Magnifici depono: laetus ideo an tristis? Ante annum nunquam fore putabam, ut dubitare possem. Nunc non satis scio, nisi iucundam rerum multarum recordationem illud mihi tempus reliquit. Sed quidquid depono, meum Academiae amorem, Curatorum existimationem, Collegarum amicitiam, horum denique adolescentium caritatem nunquam deponam.

DIXI.

ANNOTATIO.

P. 8. *Cum stirpe Guilielmi.* Quamquam Guilielmus III non reliquerit prolem, Ioannes tamen Guilielmus Friso recte Guilielmum I in maioribus suis numerare poterat. Illis, qui hoc sive non intelligebant, sive intelligere nolebant, ostenderunt Scharp, *Leerrede* 8 *Maart* 1791. Van der Aa, *Leven van Prins Willem V* D. I. p. 55. et Cl. De Crane, *Orat. de Ioanne Mauritio, cognomine Americano*, Annal. Acad. Groning. a. 1816.

P. 8. *Calumniatores.* In his unus ante alios caput extulit, homo Germanus, quem nominare me pudet, licet eum, mendacis de historia Neerlandica libri auctorem, in Hollandiam venire, et, quasi re praeclare gesta, eruditos viros salutare non puduerit. Sive ea sit malevolentia, sive ignorantia, sive studium laudis a novitate captandae, contemtu dignus est. Deberi ea sors nobis videtur, ut, ne de Francis dicam, Germani res Neerlandicas perverse plerumque tradant et corrumpant. Nemo fere unquam erroribus fuit immunis, quos ne pueri quidem nostri admittunt. Exempla exstant, tam multa, quam fatua. A. H. Niemeyerus in libello Germanico *de legendis Graecis poëtis*, qui prodiit Hallae 1792, scripsit: « Severa illa literarum colendarum ratio (Grammatica et Etymologica) qua pulcherrimum illud vinculum, vel, ut Euripides dixit, ἥδιστα συζυγία Musarum et Charitum, erat dissolutum, hodie scholas Philologorum deseruit, neque fortasse erraverim, si exercitus Germanicos (a. 1787) in eam quoque regionem, ubi ista severitas maxime vigebat, patriam scilicet Burmannorum et Valckenaeriorum, plus elegantiae et humanitatis intulisse dixerim. » Niemeyerum propterea iure reprehendit interpres Hollandus, qui libellum edidit a. 1799: et Cl. H. Bosscha in annot. ad Orationem suam *de Batavorum ingeniis* sq. a. 1804., hoc vocat *insolentem, quamvis ridiculam, iactantiam viri ceteroquin laudatissimi.* Ridicula certe est comparatio C. D. Beckii *Hist. Univ.* T. II. p. 308: qui, postquam dixerat, in nulla populi paullo humanioris historia inveniri exemplum tantae crudelitatis, quanta fuit Triumvirorum constituendae reipublicae Romanae, subiecit: « als ich diess schreib, waren noch nicht die schrecklichen Ausschweifungen einiger Regimenter zu Herzogenbusch (am 5 — 9 Nov. — S. histor. Portefeuille 1787) bekannt. » De Ioanne Mullero, illo, qui laudes Cornelii Taciti affectabat, et a nonnullis, satis imperite, Tacitus Helvetius appellatur, nihil dicam. Sufficiat verba Latine apponere ex Hist. Univ. Lib. I. cap. 7. « Ad orientem Ponti Euxini iacebat regio Colchorum, parva

et paludosa, in quam crebrae gravesque pluviae decidebant. Agri plani, in multas fossas secti, domus in litore, pleraeque palis superstructae. Homines obesi, corpore haud ita proceri. Lingua dura, sine elegantia. Erant Hollandi veterum. Quin etiam pinceps fluvius Phasis, sicuti Rhenus, arenis absorptus, tandem non amplius apparuit. » Di talem a terris! Quid alios praeterea memorabo, ubi Heerenius, vir ille probus, diligens et doctus, in Enchiridio Historiae recentioris, ad annum 1711 scribere potuerit, factionem Arausiacam in republica nostra mansisse, ideo, quod Guilielmus IV titulum *Principis Arausiaci* haereditate a Guilielmo III accepisset?

P. 8. *Institutis.* Exstant ab ipso Guilielmo edita. Liberalitas praecipue apparet, si cum institutis aliarum Academiarum comparentur. In nostris cernitur ingenium reipublicae, in peregrinis, regni. Confer. Oratio Cl. Adr. Cath. Holtii *de Liberalitate maiorum nostrorum, quae Academiis instituendis augendisque cognita est*, Ultrai. a. 1836. Ea liberalitas apparet in multis rebus, etiam in forma imperii. Non *Cancellarium* aliquem, dicit Holtius, praeposuerunt, Pontificiae dominationis opus, in multis Reformati nominis Universitatibus retentum, sed *Curatores*: nomen planum et mite, et Batavae indoli accommodatum. Haec mihi legenti in memoriam redibat, quod relatum est in Resolut. Curat. Leid. Mss. Voll. II. pag. 215, Rectorem et Senatum a. 1593 ab Ordinibus Hollandiae voluisse petere, ut nobilis aliqua persona Cancellarius Universitatis constitueretur. Ex Actis Acad. eiusdem anni apparet, Ioan. Oldenbarneveldium Rectori Heurnio fuisse auctorem, *ne quid tale eo tempore peteretur.*

P. 8. *Urbe.* Moenia labefactata hic illic ruinam minabantur. Sed cuius in Hollandia oppidi cives tale depositum tuerentur fortius, quam quibus recens defensa obsidio tantos dabat animos? aut quinam hoc sibi per vim eripi ferrent iniquius, quod suo sanguine, quod toleranda fame, quod contemnenda peste essent meriti? Et aliae urbes sua moenia novae Academiae pandebant. Leidae tunc invidere tam vehementer audebat nulla. Undecim quidem annis post a factione Leicestriana agitatum fuit de sede Ultraiectum transferenda, sed ea improbitas delusa est: neque omen ciconiae pii et simplices maiores frustra acceperunt. Narravit P. Cunaeus in Orat. pag. 8. « Traditum literarum monumentis ab iis fuit, quibus annotare singula curae erat, hoc ipso die, nimirum octavo huius mensis, interea dum studiorum honores primitiaeque in hanc urbem inferebantur, ingenti omnium admiratione diu ante consuetum tempus, advectam ciconiam esse, quae profecto avis et olim et hodie, consentientibus mortalium iudiciis, laetum facere auspicium, ac rerum esse optimarum nuntia credita est. » Est et Hadriani Iunii carmen, Augurium in Novam Academiam, de hac ciconia, quae volavit

Nuntia laetitiae, circum praetoria pennis
Concita remigibus,
Quando coronatos studiorum invexit honores
Primitiasque novas
Turba Deûm,

P. 8. *Tempore.* Nostri homines, exemplo R. Agricolae, W. Gansfortii, Erasmi, aliorum, commoti, intelligere incoeperant, quid fieri possent. Sensus libertatis, qui tota fere Europa vigebat, ubi in singulis hominibus exseri non poterat, in corporibus et Collegiis ostendebatur, et apud nos, nondum servituti assuetos, facilius in Academia explicabatur. Vel ipsa Academiae opinio et nomen habebatur documentum libertatis et iuris. Hollandis praeterea accedebat animus, quia Guilielmus adeo de re summa non desperabat, ut in mediis belli terroribus hoc auderet, Hispani autem fiebant tardiores, qui tantam constantiam animadverterent.

P. 8. *Celeritate.* Guilielmus iam diu ante, arbitror, hoc beneficium Hollandiae destinavit, fortasse iam tum, quum Brabantinorum querelas adiuvabat, qui Granvellanum a. 1562 Academiam Duaci condidisse aegre ferebant. Nunc consilium, die 28 Decembris mensis a. 1574 captum, die quarto Ianuarii 1575 per Ordines effecit, iamque die 8 Februarii Academia erat. Agebatur enim de rebus inter Hispanum regem et Hollandos componendis. Academia si ante res compositas esset, eo foedere excipi poterat. Edictum Ordinum anno 1574 notatum est, quia anni initium a Paschate sumebant. Idque brevi post mutatum est, sicuti etiam, per Guilielmum et Ordines, accepimus Gregorianum stilum, quem tamen in libellis publicis appellari Gregorianum Curia Hollandiae noluit, idque fecisse aliquando Vulcanium aegre tulit. Dabo epistolam ex Actis Academicis:

Praeses ac Senatus Curiae Hollandiae

Zelandiae ac Frisiae.

Magnifici Doctissimi viri.

Exhibuit nobis Doctor Albertus de Veer Amstelodamus literas, quas ab inclita vestra Academia in doctrinae suae testimonium obtinuit, cumque ex earumdem tenore ad praxin se transferre ac de more Curiae nostrae Advocatorum albo inscribi peteret, lectis in Senatu literis, incidimus in haec postrema verba, quae ita habent: « Datum Lugduni Batavorum anno CIↃIↃLXXXV die vero Iunii sexto, *stilo Gregoriano.* » Admirati novam stili Gregoriani appellationem, tandem a Gregorio Pontifice (qui et bon Compange dictus fuit) eam manasse coniecimus. Cum itaque nos non ex Pontificis (cuius iam merito iugum excussimus) sed gloriosae memoriae Principis Aurangiae ac Reipub. Hollandiae Ordinum iussu novo iam hoc stilo utimur, indignum putavimus tantum etiamnum in hac reformata et libera Republica Pontifici honoris tribui. Quam ob causam Graphio nostro, ut vobis Ampliss. Viri, indicaret mandavimus, nosque communi consensu statuisse, *neminem posthac in Advocatorum album assumpturos, quorum testimoniales literae Gregoriani stili mentionem faciant.* Supradicti igitur Domini Doctoris Alberti de Veer literas remittimus, ut ab Academiae vestrae a secretis ver-

bum illud ultimum emendetur ac in posterum omittatur. His Ampliss. doctissimique viri valete, Deusque Opt. Max. vos servet incolumes. Datum Haghis anno Domini CIↃIↃLXXXXV, die vero mensis Septembris XVIII.

P. Hanneman.

Bonav. Vulcanius respondit, Senatum Academicum ita esse facturum, sed eam suam scribae fuisse culpam, illoque Gregoriani stili nomine semel modo in publicis literis usum, idque fecisse exemplo I. Scaligeri, cuius studio se errasse, non Pontificis. Haec referenda sunt ad ea, quae Cl. de Crane disputavit in duobus libellis *de stilo novo* editis a. 1826 et a. 1835.

P. 8. *Libertatis praesidium.* Vel ipsum Academiae nomen, presertim ita institutae, opinionem libertatis ferebat. Qnam libertatem hic intelligerent nostri maiores, vel apparere potest ex Epigrammatis Iani Dousae;

Salvius Iulianus ad Iustitiam
Lovanium fructu nos tantum accepit et usu.
Hic etiam nexu me iuvat esse tuum.
Respondet Iustitia.
Nec fructu Grudii nos accepere nec usu:
Namque Papam, non me nunc locus ille colit.
Ad Ciceronem.
Lugdunum venias Tulli, aut famulare necesse est.
Maranum patitur Belga Italusque iugum.

P. 8. *Pontifici Romano et regi Hispaniae.* Nota sunt ingenium Philippi II et opinio tam de regia maiestate, quam de sanctitate Pontificis Romani. Ratio necessitudinis, quam Pontifices cum regibus volebant, optime cognoscitur ex orationibus, quas Muretus Romae multas habuit. Orationem pro rege Francisco III ad Pium IV ita finivit: « Haec habuimus, Beatissime Pater, quae tibi Francisci II Christianissimi Regis nomine exponeremus. Nunc, cum idem Scotiae regnum obtineat, una ipse cum Maria uxore, a qua illud dotis nomine accepit, omnes tibi eius et opes et copias deferunt, seque omnibus in rebus auctoritati tuae libentissime obtemperaturos, omnemque tibi, quae a filiis debetur, obedientiam praestituros pollicentur. » Disciplina Lovaniensis et Duacensis intelligitur ex historia et exitu utriusque Academiae. Veteres autem Brabantini non minus alacres quam Hollandi in tuenda libertate videbantur, idque in Academia Lovaniensi a. 1568 significaverunt. Nam quum A. Delrio orationem *de laudibus ducis Albani* habebat, eam auditores tam iniquis animis accepere, ut prae strepitu pedumque pulsu et sibilis discedere cogeretur.

P. 8. *Typographiam.* Edictum exstat apud Borrium. Prototypographus, Episcopus, Inquisitores, Concilium Tridentinum, libertati

Nomina sunt ipso paene timenda sono.

Conf. *Dissertatio-Historico Iuridica de Iuribus Typographorum et Bibliopolarum in Regno Belgico*, defensa ab I. T. Bodel Nyenhuis Leidae a 1819. Ex hac dissertatione, doctrinam et iudicium auctoris testante, nonnulla excerpsit libelloque suo *De Libertate in Neerlandiis typographica* adiecit is, qui Opuscula Miscellanea Koppenii ex lingua Germanica in vernaculam transtulit Arnhemiae a. 1825. Romae quoque olim sub Domitiano in libros saevitum est. In foro urebantur. Sed illo igne, ut dicit Tacitus in *Vita Agricolae* cap. 2, vox populi Romani et libertas Senatus et conscientia generis humani non abolebatur.

P. 8. *Nova aetas.* Non metus quidem erat ne cum Hispanis ita coalesceremus, ut unum e duabus nationibus fieret corpus. Nimia morum dissimilitudo obstabat, libertatis illa potentissima in parvis populis conservatrix. Vere Bodinus in egregio libro *De Republica* V. 1. « Quod Belgae ab Hispanorum imperio defecerunt, hanc potissimum defectionis causam fuisse constat, quod Hispanorum mores suis dissimillimos ferre non possent. » Egregius est locus H. Grotii I *Annal.* pag. 4. Harenius in annot. ad *Geusios* suos illustre huius odii exemplum affert, dicens, Hispanas cohortes, quae gloria virtutis omnes omnium nationum exercitus superabant, nunquam rem bene gessisse, ubi Neerlando Imperatori parebant. Consuetudo tamen cum Hispanis quotidiana, exempla principum Neerlandorum, crescens linguae peregrinae usus, alia, periculum minabantur, quod prudentiores non latuit. Academia multam periculi partem avertere poterat. Visere Hispanas et alienas Academias, quod quotidie in recens mota discendi cupiditate fiebat, sicuti utile esse poterat adolescentibus civitatis iam confirmatae, ita noxium erat adolescentibus civitatis confirmandae. Peregrinandi studium iam sat ipsum habet dulcedinis; quid, si honesta literarum causa accedat? Quam commune esset illud peregrinandi studium, vel ex carminibus I. Dousae apparet, qui filium Ianum morbo in itinere extra patriam contracto amisit. Nobilitas, sic cecinit *Funebr.* I. 2,

Incauto iuveni, patria mutare relicta,
Flagrantes alio sidere suasit agros;
In coelum tollens externa, domestica damnans
Omnia. Quid mirum? Mos ita noster habet.

Tanta nimirum huius moris erat vis, ut ne Dousa quidem restiterit, et clausa nobis Hispania, itum sit in Franciam, ex Scylla in Charybdin. Quod Catoni in lingua Graeca, hoc Dousae aliisque in Francica accidit. A. 1598 Franciscus Dousa vivebat Parisiis *linguae discendae et morum formandorum causa*, ut ipse scripsit Lipsio, in *Syll. Burm.* T. I. p. 233. Lipsius I

Cent. Epist. 22. ad Lanoyum: « Risimus non semel istiusmodi histriones, qui ab Italia aut Gallia novi, gestus nescio quos mimicos moleste usurpabant, et delitias parum, non dicam civiles, sed viriles. Galliam cogitas? Levitatem etiam et vanitatem, quae in pleraque ea gente. » Exemplum Mauritii, Hollandum sermonem laudantis, parum valuit. Quantum maiores nostri in rebus peregrinis et quam brevi tempore profecerint, etiam apparet ex epistola I. Crucii, qui fuit Rector Rector Gymnasii Delfensis. Ille a. 1650 scribebat adolescenti H. Bleyswyckio, tunc in Francia Iurisprudentiae operam danti. Postquam appellavit eam regionem *cultissimam terrarum*, *comitatis et morum magistram*, *Minervae sedem*, *Musarum domicilium*, addit p. 561: « Quae hodie lingua gratior, quae frequentior in Aulis Regum ac Principum? quae receptio in aedibus Magnatum? In causidicina, pro tribunali, in Comitiis Ordinum, in agitandis consiliis, in obeundis legationibus ad exteros? Ubi usum suum non habet? cui non conciliat gratiam? quem non commendat? Tu, si me audis, cura ut ea instructus ad nos redeas, eo gratior futurus tuis, quod non doctior solum, sed et disertior ab ea rediturus. » Tristis experientia monstravit, quam libentes Franci tales opiniones acceperint, quibusque modis aluerint. Verissime Grotius *Epist.* 519: « Cardinalis Riceliacus in urbe et Academia sui nominis artes et scientias omnes vult doceri sermone Gallico, ac sic eius sermonis non minus quam imperii prolatare limites. » Et Ulricus Huberus *Opusc. Min.* Orat. X. pag. 219: « Nam id iam Galli magno successu agunt, ut suam linguam loco Romanae universalem dominantemque in Europa faciant, quod utinam aliquando maioris et dominantioris successus omen initiumque fuisse non videatur! » Grotius ita scripsit Guilielmo fratri a. 1640, Huberus a. 1678. Iamque anno 1752 Voltarius *Oper.* T. XLVIII. pag. 531 gloriari potuit ad amicos Academicos: « Je suis toujours émerveillé des progrès que notre langue a faits dans les pays étrangers; on est en France de quelque coté que l'on se tourne. Vous avez acquis, messieurs, la monarchie universelle, qu'on reprochait à Louis XIV, et qu'il était bien loin d'avoir. » Guillielmus I, ut eo redeam, volebat novam aetatem, Neerlandos, *patriotas*, ut se ipse in Epistola ad Ordines appellavit *amicum vestrum et patriotam*: idque nomen *patriotae* tunc erat oppositum nomini Hispano.

P. 8. *Tyrannidem a civitatibus defendunt.* Burmannus Secundus in Dedicatione *Analect. Belgic.* T. I. ad Burgimagistros Amstelodamenses ita scripsit: « Ut adsequerer consilium et institutum illud, in exemplum commendandum, quod se olim in condenda Academia Leidensi sibi proposuisse, diplomate perquam laudabili, testatus fuit Auriacorum Principum maximus Guilielmus I, *ut ab Historiarum Professoribus docerentur, et narrarentur illa, quibus liberae Civitates, omni tyrannide sublata, recte possint administrari et congruentem Libertati disciplinam servarent et propagarent.* Unde Burmannus haec acceperit, adhuc frustra quaesivi. In Diplomate, quod Guilielmus nomine Philippi II edidit, non leguntur, neque in Statutis Universitatis d. 2 Iunii 1575. Statuta autem Ordinum Hollandiae et Westfrisiae a. 1631 huc non pertinent. Quo animo Philippus II acceperit, quod suo nomine Academia Leidae esset condita, non legi. Quum Guilielmum a. 1580 publice devovebat, libellum edi iussit a iuratis

Typographis suarum Universitatum Lovaniensis et Duacensis. Theologi quidem Lovanienses quid iudicarent, constat ex epistola N. Buyckii ad I. Lipsium *Sylloge Epist.* et Burm. T. I. pag. 612: *esse Academiam illegitimam, quod non sit a legitimo Principe instituta, aut a Pontifice Maximo approbata;* iidem praeterea « omnes habebant Schismaticos, qui, licet Catholici sint, in Academia inscripti, imo non inscripti, lectiones audiunt. » Buyckius illud probat, hoc ita excusat, ut dicat, multos inscribi, quo forum urbicarium declinent, seque privilegiato subiicientes et ab excubiis, vectigalibus, et aliis divexationibus liberentur, concurrentes ad Academiam, tamquam ad Asylum, non tamen propterea eam probantes, ut legitimam. Exstant edicta Ordinum nostrorum, ne qui filios in Academias religioni et libertati inimicas mitterent, aut in disciplinam Iesuitarum traderent. Burmannus credere videtur, Ordines hoc decrevisse propter illam Lovaniensium Censuram. Sed edicta Censuram, ni fallor, praecesserunt. Neque alibi ius Academiae nostrae agnoscebant. Caesaroduni Turonum et religionem calumniabantur, et dicebant nos in numero Academiarum non censeri. Opera Baudii a. 1592 factum, ut, qui Leidae gradum accepissent, legitime promoti viderentur: v. *Epist.* p. 42. Huc pertinet deliberatio de ratione, qua Swanenburgius iureiurando, quod regi Hispaniae in Academia Duacensi praestiterat, solveretur. Conf. Acta Acad. T. VI. p. 41 — 43. Quid pro nobis fecerint Henricus IV et Ludovicus XIII, notum est. Mirum, a. 1696, Medico, qui Leidae factus erat Doctor, Rurimundae fuisse vetitum artem facere, idque auctoritate regis Hispaniae. Senatus scripsit Ordinibus, Ordines Residenti suo Bruxellis. Causas autem, cur Guilielmus Academiam condiderit, ipse in Diplomate explicavit, et ex Diplomate H. Grotius *Hist.* V. p. 266: « Lugdunum Batavorum liberalibus studiis sedem Arausionensis legerat, ne metu sumtus longinqui populus inter arma natus feritatem atque inscitiam indueret. Eodemque remedio civitas adversus obsidii clades recolebatur, quae clara fidei et constantiae, oblata tributorum remissione, hoc praemium maluerat. Praecipue movebat religio, columen partium, cuius explicandae munus opifices hactenus, aut e rudi plebe literarum inexerciti sibi sumserant: dum labor ipse honorum exspes et certus paupertatis, docentium discentiumque penuriam facit. » Multi deinde Professores in Orationibus hoc argumentum attigere, ut Hemsterhusius a. 1747. pag. 33. et Valcken. a. 1749. In verbis Grotii notanda sunt illa *oblata tributorum remissione.* Vidi enim, qui ea de re dubitarent.

P. 8. *Philippi sui.* Hic Philippus, natus a. 1554 in arce Burensi, nomen accepit a Philippo, filio Caroli V, postea rege Hispaniae. Matrem Annam Egmondanam mature amisit. Puer multae spei, praeclaris animi et ingenii bonis ornatus, praeceptorem habuit Everardum Harium. Iunius Philippo suum *Nomenclatorem* dedicavit, scripsitque: « Te in non dubiam liberalis eruditionis ac praeclarae scientiae spem, Everardo Hario, pueritiae tuae formatori, singularis doctrinae iuveni, credidit Illustriss. tuus genitor. » Corn. Gemma in libro *de Naturae divinis Characterismis* p. 60 vocat « praeclarae institutionis ac generosae indolis adolescentem. » Patrem Guilielmum amabat unice, neque in Hispania amare desiit. Testis est epistola ad Comitem Ianum Nassavium, scripta Alcalae 30 Iunii 1576, edita in *Archivis domus Araus. et Nassav.* T. V. p. 369: « considérant la grande obligation dont me sens

chargé envers vous — pour le continuell secours et grande assistance qu'avec tant de léauté avés monstré à Monseigneur mon père durant ses adversités. » De vita Philippi pulchre exposuit Cl. I. P. van Capelle Harlemi a. 1829. et merito quaesivit, quod etiam fecerunt La Pisius, Bellofortius, alii, cur Guilielmus I, quum a. 1567 sub adventum ducis Albani hinc se Dillenburgum reciperet, Philippum Lovanii reliquerit. Multa hic possunt coniici; ipse Guilielmus nusquam, cur fecerit, explicavit. Quod Capellus putat ideo inprimis fecisse, ne, si Philippum secum in erroribus circumduceret, literarum studia impediret, potuisset, credo, mittere aliquo in Germaniam, ut postea misit Mauritium: neque sic noti erant Hispani, ut privilegia adversus suum genus servarent. Quam aegre casum filii tulerit Guilielmus, apparuit vel ex *Apologia* pag. 141: « Opt vertooch te dier causen by die van der Universiteyt aen hen ghedaen, dien barbarischen ende onbeleefden Vargas gaf dese antwoorde in quade Latynsche tale: *Non curamus vestros privilegios.* » Nonnulla praeterea huc pertinentia reperiuntur in annotationibus Hasselti ad *Apologiam*, quae prodiit Arnhemiae a. 1798 ex typographeo Iacobi Nyhoff: adde *Verzamelingen en onuitgegevene stukken van Bondam* II. p. 351. et Idsinga *Staatsrecht* I. p. 133. De Everardo Hario, Philippi praeceptore, nihil cognovi. Cannegieterus, qui in Praefatione ad *Tristia Henrici Harii* de gente ista nonnulla annotavit, Everardum non attigit.

P. 8. *Hollandiae perierit.* Quid non educatio valet in animos iuveniles, Iesuitarum praecipue, qui tunc unicum fere hoc opus habentes, ante alios omnes excellebant! Margaritam Parmensem, adeo virilis animi mulierem, ut ne barbula quidem in mento et superiori labello deësset, neque alienam ab iis rebus, quas vita Principum ferebat, adeo fecere religiosam, ut, narrante Strada *B. Belg.* I. p. 51, « singulis annis, tum in Sanctiori hebdomade, duodenis pauperibus puellis pedes (*quos a sordibus purgatos ante vetuerat*) ablueret. » De Philippo dixit Heydanus in *Orat.* pag. 18: « Philippus pene adhuc puer, Lovanii studiis operans, contra ius gentium surreptus, etiam Hispaniam in captivitatem abductus, iniuste negabatur patri et patriae. Et generosus spiritus, sive diutina servitute oppressus, sive lento pharmaco corruptus, rebus nostris inutilis redditus est. » Quod de pharmaco tunc fuit iactatum, licet nihil comperti sit, a more saeculi non abhorret. Caeterum Philippi ingenium hinc pulchrius enitescit, qui ne sic quidem pietatem erga patrem exuerit, et libertatis sensum diu servaverit. A. 1577 Guilielmo scripsit, quam ipsum servitutis et custodiae pigeret. Fulmen ceciderat in altissimam turrim Escurialis: « au dessus du clochier estoient mises 4 ou 5 grosses boules, toutes dorées et pleines de beaucoup de reliques, pour la conserver de semblables périls, mais cette fois ne firent point de miracle. » Epistola Philippi est in *Archivis* Vol. VI. p. 102, in quo et manu scriptum nomen lithographum refertur. Effigies Philippi expressa est in numis apud van Loon, et I. de Vries et I. C. de Jonge; quorum ille dedit numum a. 1596, hi a. 1605. Operae pretium est videre, quid ex alio numo coniiciant de clandestino matrimonio Philippi et Margaritae Bogaerts, pag. 58.

P. 8. *Iustinus Nassavius.* Nemo ex omnibus Oratoribus nostris Iustinum memoravit. Solus Tewaterus

in *Orat.* anni 1790, prudenter, ut solebat, postquam dixerat: « in qua Academia uterque Guilielmi I filius, aliique de gente Nassavia literarum studiis non vulgarem navarunt operam; » in annotatione addidit: « Iustinus a Nassau a. 1576; » Tum et alios subiecit. Haec est nimia religio. In Bibliotheca Academiae nostrae, inter Mss. Vulcanii, est *Horoscopus Iustini a Nassou per Io. Stadium*, Gandavi 25 Iunii 1571. Nescio an libellus sit editus. Pauca excerpsi. « Iustinus natus a. 1562, ratione Romana die Mercurii hora septima et octo sec. pomerid. Ingenii dotes satis abstrusae sunt, neque adparebunt facile, ipseque neque ad literas neque ad studia animum (nisi coactus: sed quid facies invita Minerva?) applicabit. Armis et militari gloria clarus futurus est ab a. 35 aetatis usque ad 47, quo tempore omnes suos aequales gestarum rerum fama et laude superabit. Ducet uxorem potentem et nobilem a. 30, idque ex principum commendatione. Extra patriam, quam domi, erit fortunatior. Odio habebitur a nonnullis Ecclesiasticis, sed obscuris, qui eius existimationem nullo successu lacerare conabuntur. Crescet potentium heroum favore et heroinarum. Bene de omnibus merebitur, qui ipsius tenuem et obscuram nunc quidem fortunam protexerunt. » Iustinus praeceptorem habuit domesticum Rembertum Horraeum, quem Mauritius a. 1587 Curatoribus Academiae commendavit. Exstat epistola in *Resolut. Curat.* Mss. Vol. I. pag. 221. Fabricius in *Orat. in Natal. III. Academiae Lugd. Bat.* a. 1725, pag. 17: « Guilielmus, » inquit, « filiorum natu maiorem (Mauritium) in carissimo pignore ipsemet capturus sui consilii experimentum huc misit. Videtis opinionem Principis de utilitate Academiae ad Principes patriae parandos. » Revera Guilielmus hoc experimentum prius cepit in Iustino. Et recte. Nam pluris intererat, ne Mauritius, quam Iustinus, in potestatem Hispanorum veniret. Memoratu autem dignum est, quod, quum adolescentes Academici a. 1576 epistolam Latinam Rectori et Professoribus scribebant, rogantes privilegia quaedam et immunitatem tributorum, Iustinus hic Nassavius suam, omnium nomine, manum solus apposuit. Epistola servata est in *Resolut. Curat.* Mss. Ex iisdem Resolut. porro apparet, quanta cura Guilielmus Academiae consuluerit. Idoneos doctores quaerebat, libros Bibliothecae dabat, et quid non faciebat? *Acta* quoque *Academica* Mss. eundem Guilielmi animum ostendunt. Ipsum a. 1580 magistratum urbanum praesens reprehendit, quod minus Academiae causa facerent, quam par esset.

P. 9. *Petreio Tiara.* Frisium nomen fuisse videtur *Pier Tjeerds.* Ni poëta fuisset, fortasse ex praenomine *Pier* fecisset *Pierius.* Erat nimirum superbius in poëta. De *Tiara* accurate exposuit et auctores indicavit Hoeufftius in *Parnaso Lat. Belg.* p. 30. Saepe fuit Academiae Rector. Guilielmus I eum a. 1577 iterum eo honore ornavit. Epistola Guilielmi haec est:

Guilielmus Dei gratia Princeps Auraicae Comes a Nassau Baro ac Dominus in Breda in Diest caet.

Redditae sunt nobis literae vestrae, quas postridie Kal. Febr. ad nos inde dedistis. E quibus pro more institutoque vestrae Academiae nomina tria vestri Collegii a vobis designata

comperimus, ut desinente iam Dñi Fuggerci Rectoratu, ex iis unum, qui eidem succedat, in sequentem annum deligamus. Et quia tum vestrorum omnium, tum universi Senatus Lugdunensis commendatione D. Petreius Tiara, graecae linguae Professor, ad huiusmodi subeundum munus iam pridem longo usu ydoneus censetur, merito illum Rectoratui dictae Academiae per integrum sequentem annum praefecimus, omnibusque aliis, quorum intererit, pro Rectore agnosci, honorarique volumus. Valete. Middelburgi VII Februarii anno sesquimillesimo septuagesimo septimo.

Vobis toto pectore addictissimus
Guillus de Nassau.

Comitas Guilielmi in huiusmodi epistolis etiam cernitur. Initio eadem erat Mauritii. Deinde maior quaedam gravitas, conspicua quoque in negligentia manus, quam nonnulli homines interpretantur maiestatem. Istac autem Epistolae, ut nunc Decreta Regia, palam e suggestu a scribis Academicis recitabantur.

P. 9. *Erant duo. Die 5 Augusti, Theodoricus Leuwen, Delfensis. Die 19 Augusti, Theodoricus van der Laen, Haerlemensis.* Nomen Leuwiorum illis temporibus satis cognitum erat, et in *Epistolis Clar. Viror.* a Bertio editis non una est Theodori a Leuwen ad Mylium amicum, ut pag. 663: « Crastino die, qui Iulii sextus est, Professores Leidae praelectiones auspicabuntur in omnibus Facultatibus. Sed periculum est, ne Professorum labori atque dignitati auditorum numerus non respondeat. Ego, si licuerit per negotia, quae me fere a libris meis studiisque abducunt, illuc me conferam. » Scripta est epistola eodem hoc anno 1575. Erat ergo tunc nullus discipulus. Caeterum Catalogi nominum in Albo inscriptorum supersunt omnes, perpetuo ordine ab initio ad hunc diem deducti; exceptis annis, quos in Franca servitute transegimus. Iam ab aliquo hinc tempore occupati sumus in scribendo novo Catalogorum istorum exemplo. Nam et vetustiores saepe ad legendum sunt difficillimi, et unius exempli copia nimium habet pereundi periculum. Dictu autem incredible est, quam saepe cum populares nostri, tum alii ex omnibus fere terrarum partibus, antiqua nomina quaerant. Vellem sua quisque manu suum nomen scripsisset. Quanto maioris momenti fuissent Catalogi? Heydanus in *Orat.* p. 68 narrat, « Mauritium et Henricum sua nomina manibus propriis matriculae nostrae inscripsisse. » De Mauritio dubito. Est eadem manus Rectoris Heurnii, paullo turbatior, ut videtur, et dubitantis, quomodo esset scripturus. Et nomen *Mauritii* literis grandioribus quam alia nomina, positum est. Die 19 Aprilis a. 1583 una cum Mauritio tres nobili genere in Album relati sunt. Ordo hic est:

Nobiliss. ac Generosiss. Comes Mauritius a Nassou.
Nobiliss. ac Generosiss. Comes Philippus a Nassou.
Philippus de Merode, filius baronis de Peterssem.
Guilielmus de Melville.

Frater Mauritii suum ipse nomen posuisse videtur. Heurnius, iterum Rector, ei totam peculiarem paginam in Albo dedit. Scriptum est die 4 Ianuarii 1594.

Nobilissimus ac Generosissimus Comes
henrycus fredericus
a nassau.

De Henrico confirmavit Spanhemius in *Laudatione:* « Nostra Academia de tanti alumni manu, Albo suo Kal. Ian. a. 1594 inserta, merito sibi gratulatur. » Henricus recensus est Die Sabbathi xx Febr. 1594, una cum I. Scaligero et C. Clusio. Cur Mauritius, qui mense Iulio 1582 Leidam venerit, et iam 8 Febr. a. 1583 cum Philippo Comite solemni Professorum coenae interfuerit, inscriptns sit in Albo die 19 Aprilis 1583, ignoro. In hac parte vitae Mauritii multa sunt obscura. Post Heidelbergam aliquamdiu fuit in urbe Bredae. Inde brevi Leidam discederet, quod die 19 Martii 1578 scripsit Maria patruo Iano Nassavio in *Archiv* T. VI. p. 330. Postea de Francia cogitatum est. Tandem Leidam venit. Cura, quam Guilielmus pro eo gerebat, in hac re elucet. Nam ille nihil temere faciebat, minime, sine gravi causa, consilia tam saepe mutabat. Coenae interfuisse Mauritium, video ex Actis: « Eodem die coena habita in aedibus Elisabethae Daems, ad quam venerunt D. Comites a Nassou, Coss. Leidenses et alii. » Fortasse ea coena Principum causa fuit lautior. Constitit enim 86 florenis. De sumtu in cibum cum hospita convenerant prius. Erat 38 floreni. Hospita postridie querebatur se fecisse detrimentum. « Visum est Senatui Academico ut decimo die Februarii Professores ibi rursus coenarent. Ita factum. Singuli solverunt florenum unum. » Convivia ista iam coepta sunt a. 1579. Acta Senat. d. 9 Febr. 1579: « Decretum est convivium publicum habeatur, conciliandae benevolentiae Magistratus, sumptu Academiae. Habitum: et vocati Curatores magistratusque. Magistratus e Collegio suo quatuor misit. Sumptus fuerunt ad florenos xxviii circiter. Vinum gratuitum (ad amphoras xvi) praebuit Magistratus. » Hoc accidit Rectore I. Lipsio, qui ipse Acta Senatus scripsit. Haec annotare et ex Actis in lucem edere, nonnullis sine dubio videbitur levius. Mihi non visum fuit, ut neque illud, brevi post a Senatu fuisse decretum *ad Promotionis actum* vocare Magistratus Leidenses et Comites Nassavios.

9. *Quatuordecim.* Initia Academiae praeclare exposuit Grotius *Histor.* V. p. 266, 267. Numerus adolescentium in albo inscriptus fuit:

a. 1575 —	2.
a. 1576 —	14.
a. 1577 —	26.
a. 1578 —	84.
a. 1579 —	104.
a. 1580 —	121.
a. 1581 —	149.

P. 9. *Philippi Marnixii.* Marnixius alium, ut videtur, filium erudiendum commisit B. Vulcanio Antverpiae a. 1580. Conf. Epist. in *Sylloge Bertii* pag. 830 sq.: « Iudicium tuum de praeceptis Grammaticis non plane improbo, sed ita tamen ut hoc nomine haud ediscendas censeam infinitas regulas et nescio quae magica carmina, quae in scholis solent ad nauseam et vero ad mortem usque pueris sine ullo intellectu decantari. Si sensero ad literas non esse aptum eius ingenium, aliud mihi inducam in animum. Neque enim volo invita illum Minerva aetatem in studiis sine fructu terere. » Notum est, cur Marnixius ab anno 1586 procul se a re publica habens, primum in Zelandia, deinde duos postremos vitae annos Leidae transegerit. Nonnulli perverse tradunt, privatum omni tempore vixisse Leidae in villa *Suburbana*, decepti fortasse epistolis Marnixii in *Sylloge Bertiana*, quas dedit ex *Suburgo*, et *praedio Suburgano* et *Suburbio Suburgano*. Illud *Suburgum* est pagus *West-Souburg* inter Medioburgum et Vlissingam, cuius pagi erat dominus. Ibi habebat arcem. Apponam verba Grotii, in quibus, licet paucis, saepe plus ponderis et sapientiae est, quam in longis aliorum disputationibus. Grotius *Histor.* V. p. 267: « Nec, quod reliquum est sapientiae (in Academia Leidensi) deserebatur. Maximum accessit lumen Aldegondius, otium illic Divinae legi in patrium sermonem transferendae quaerens. » Idem lib. VII. p. 355. ad annum 1598, quo Aldegondius obiit: » Sed notabilius privatum egerat Philippus Aldegondius, quem Arausionensi indivulsum, urbesque et populos regentem olim qui viderant, ad ultimum usque diem literata quiete reconditum mirabantur. » Operae pretium est conferre cum dicto Grotii epistolas ipsius Marnixii in *Epist. Clar. Vir. ed. Bertio* pag. 977 sq. De Marnixio nuper egregie exposuit W. Broes, rerum ille Neerlandicarum prudens et integer index.

P. 9. *Iam puer Heidelbergae.* In *Archivis domus Araus. et Nassav.* T. V. pag. 259. est epistola (d. 28 Iulii 1575.) Comitis Iani Nassavii ad Guilielmum I, de Mauritio etiam scribentis, eiusque ingenium ad literas discendas aptissimum laudantis. Mauritius eo tempore in domo Comitis vivebat, in oppido Otweilero, regione Wetteravia, ut apparet ex epistola Mariae ad Guilielmum I patrem in *Archiv.* T. p. 430. Pater Guilielmus rogaverat filiam, ut praeceptorem Mauritii aliquo munusculo donaret. Ea respondet, se nescire quid et quantum esset donatura, ac timere ne vel parum vel nimium faceret: « se ne serat poient argent perdu, car serte mester d'hôtel en pren grant soing, et, à se que j'entens, Maurits se gouverne ousy asé bieu. J'espère qu'y continuerat ousy toujour aynsi. De Otweiler en Wetterich le 15 d'Octobre en l'an 1576. » Cum hac epistola iungenda est altera eiusdem Mariae in *Archivis* T. VI. p. 16. ad patrem Guilielmum 19 Martii 1577, in qua dicit praeceptorem Mauritii gratias agere pro munere: « Pareillement vous devroi-je ousy bien prier pour Moritz, car le mester d'hôtel me dit qu'il le mérite bien, et qu'il pren gran paine de bien estudier; et espère que, en voiant quelque chosse que Mons[r] luy envoye, qu'il ferat tant plus son devoir de continuer de mieulx en mieulx. De Sigen ce 19 de mars en l'an 1577. » Desiderabantur boni praeceptores, quique bene Latine et France loquerentur. Mauritius cum filiis Comitis Heidelbergam profectus est a. 1576. Exemplum particulae, ex Albo Heidelbergensi ad me missae, hoc est:

CASPARO
AGRICOLA OPPEN-
hemio, Philosophiae et Iuris
Doctore ac professore ordina-
rio, iterum RECTORE XX
Decembris Anno Salutis hu-
manae MDLXXV legiti-
me designato, in tutelam & fi-
dem Academiae iuxta leges re-
cepti sunt. Anno eo-
dem.

gratis 1 . . . . *Otto Iugenhoff Clivensis* 24 } *Decembris*
2 . . . . *Matthias Gilberti Iuliacen Ultima* }

ANNO LXXVI.

3 . . *Illustris ac Generosus Dominus MAVRI-TIUS Princeps Vraniae, Comes Nassoviae, Cattorum, Vianden & Dietz Dominus in Beylstein &c:*

GENEROSI DOMINI

4 Hermannus
5 Fridericus
6 Oswaldus
7 Iodocus
} *fratres, Comites Bergenses Domini in Bieland, Heidel, Hohemuth et Wusch &c.*

8 Ludovicus *Guilielmus*
9 Iohannes
10 Georgius
11 Philippus
} *fratres, Comites Nassoviae Cattorum, Vianden et Dietz, Domini in Beylstein. &c:*

12 Ioachimus *Baro in Buren &c:*
13 *Otto à Grünrade Nobilis, Dominoru Praefectus*
14 *M. Iohannes Mullerus Marpurgen*
15 *M. Paulus Crocius Cyenœus,*
} *praeceptores.*

16 *Iohannes Nobisius Herbornensis*
17 *Wilhelmus Haitzfeld Dillenbergensis*
18 *Iohannes Wilhelmus Braunsfels Sigen*
19 *Thomas Heinricus ab Hees.*
} *ministri*

*Omnes Secunda Februarij, Domini quidem
et propter aetatem et propter dignitatem
data tantum fide, reliqui autem Jurati
inscripti sunt.*

Quod Rector Academiae Heidelbergensis Mauritium appellavit *Principem Uraniae*, in eo minus recte fecit. Nam et pater Guilielmus vivebat, neque, eo mortuo, Mauritius hunc titulum sumere poterat, nisi postquam frater natu maior Philippus diem supremum obierat a. 1618, non relicta prole. Quamquam Ordines eum a. 1585 appellaverunt *natum Principem Arausiae;* et, dum frater retinebatur in custodia Hispana, imperium Arausiae tenebat, revera non erat Princeps Arausiae. Mauritius Heidelbergae non diu vixit. Ubbo Emmius in *Guilielmo Ludov.* pag. 29. « Anno 1576 sub cura Ephororum Heidelbergam missus (Guil. Lodovicus), etiam ut quasi in luce Germaniae sub oculis pientissimi et sapientissimi Principis Friderici III Septemviri versaretur. Cumque ibi cum reliquis substitisset annum et aliquot menses, exstincto iam optimo Principe Friderico, rebusque illic conversis, reversus est ad patrem. » Ianus Nassavius cogitavit de filiis Genevam Heidelberga mittendis. Epistola Guilielmi I in *Archivis* T. VI. pag. 81 eo referenda est, scripta ad fratrem Comitem Ianum 27 Aprilis 1577, « Wen wir dan nuhn auch verstandten das E. L. vorhabens Ire Sohn nach Genff zu schicken, und aber derselben bewust wie esz unsern sohn Moritzen ein gelegenheitt, alsz bitten wir freundtlich denselben von dannen nit zu fördern, sondern zu Heydelberg in doctor Eheims behausung bleiben zu lassen, welchem wir hiemit schreiben das er ein zeitlang gedult haben und in, bisz uff unser erfördern, bei sich behaltten woll; zweiffels ohne er werde dessen kheine beschwernüz tragen und solches von unseretwegen gern thun, den wir verhoffen dergleichen meister alhie zu bekhommen, welche in ohne gefahr und grossen schmertzen heilen und mit der zeitt wiederumb zurecht bringen sollen. » Heidelberga relicta, Mauritius aliquandiu Bredae vixit. Mauritius in Albo Leidensi inscriptus est d. 19 Aprilis a. 1583 habens annos quindecim. Quantae Guilielmo fuerit curae, ut filius recte institueretur et vere proficeret, non modo ex aliis testimoniis apparuit, sed etiam ex epistola, qua Rectori caeterisque Professoribus commendavit. Epistola servata est in *Actis Acad.* Mss. Vol. II. pag. 73. et iam a Fabricio, Tewatero et Siegenbeekio edita. Eandem et hic repetam. Δὶς καὶ τρὶς τὰ καλά. Quamquam tales epistolae nunquam satis leguntur.

S. P.

Filium meum Mauricium, viri clarissimi ac doctissimi, Leidam mitto, ut istic maiores et bonis literis faciat progressus, et moribus ad me aliquando, ita Deo bene volente, redeat ornatior. Quoniam autem vestro partim exemplo et partim cura diligentiaque vestra illud me consequi posse spero, omittere non potui, quin meis ad vos literis illum commendarem, a vobisque peterem ut, quantum ad eum bene informandum, cum bonis literis, tum

praeclaris moribus conferre potestis, tantum velitis impendere, quo iis rebus vestra opera instructus, quae sunt necessariae, aliquando Reip. universae inservire possit, magno totius Reipub. praesertim Hollandiae bono, et cum aliqua nominis dignitate. Etsi autem non ignorabam, quantum in me meosque sitis propensi, mei tamen esse officii putavi, id a vobis efflagitare, quod eratis mihi ultro concessuri. Quod vero ex me saepius audivistis, id vobis persuasum esse cupio, Academiam vosque ipsos mihi esse commendatissimos, atque id quidem vel ex eo intelligere potestis, quod istuc hisce de causis filium meum miserim. A Deo peto, viri clarissimi ac doctissimi, ut vobis universaeque Academiae velit benedicere. Valete. xv Iulii Vlissingae, a° M. V. lxxxii.

Vobis amicitia singulari
addictus
Guillus a Nassau.

Titulus epistolae est: *Clariss. et Doctissimis Viris Rectori ac caeteris Academiae Leidensis Professoribus.* Epistolae, manu aliena scriptae, ipse Guilielmus manu sua nomen supposuit. Responsum Senatus Academici, quantum scio, non editum, hoc est:

Excellentissime Princeps.

Cum innumera extent Excell. Tuae in hanc Academiam, vere tuam, merita, illustrissimaque singularis cuiusdam erga eam studii atque benevolentiae testimonia; tum nullum illustrius, quam quod eam Comite Mauritio filio tuo, utpote vivo excellentissimarum virtutum tuarum simulachro, non tam ornaris quam bearis. Affecisti certe publica non Academiam tantum, verum universam provinciam laetitia, cumulasti ingenti utramque bono, cuius uberem fructum, nos quidem nunc, Respublica olim, et quidem cum foenore, Deo iuvante, percipiet. De nobis profecto Excell. Tua penitus sibi persuadeat, nihil nos, quod ad eximiae indolis, quae in filio tuo omni ex parte elucet, igniculos exemplo et doctrina suscitandos, praetermissuros; omnemque nos operam ac studium ad eius dignitatem ac decus libentissime, pro eo ac debemus, et gnaviter collaturos. Interea pro benignissima animi erga nos sui testificatione, quam Excell. Tua et manu sua consignatam, et carissimo sui pignore confirmatam, ac denique P. Villerii, V. Cl., verbis luculenter prolixeque nobis explicatam esse voluit, ingentem Excell. Tuae gratiam habemus, Deumque Optimum Maximum rogamus, ut eam Reipubl. Ecclesiaeque suae quam diutissime servet incolumem. Lugduni Batavorum Iulii 22. 1582.

Mandato Senatus Academici B. Vulcanius.

Praeterea Guilielmus Praecepta Mauritio scripsisse dicitur, quem librum se legisse, a Principe Frederico Henrico acceptum, dicit D'Estradius. Conf. *Lettres, Mémoires et Négociations*

de d'Estrades T. I. pag. 46. Liber appellatur *l'Instruction pour le Prince Maurice.* D'Escurius in opere de *Laudibus Hollandorum* caet. T. II. pag. 224. sperat fore ut ea *Instructio* etiamnum in *Archivis domus Arausiacae et Nassaviae* reperiatur, inque lucem emittatur.

P. 9. *Praeclaras ingenii facultates.* Qui studiis Bergensium et Nassaviorum adolescentium erat praefectus, tunc, quum Mauritius Heidelbergae degebat, scribebat Comiti Iano Nassavio, *in Mauritio esse divinum ingenium.* D. Heinsius in *Orat. Funebri:* « Ad virtutes istas maxima naturae beneficia ac dotes accedebant. Memoria tam rara inter caetera ac vasta, ut, quaecunque ab actuariis concepta essent, per se meminisset, et amissas, quas legisset unquam, aulae tabulas chartasque a se peti posse, nihil minus quam iactator aliquoties pronuntiavit. » Talis quum esset Mauritius, multa discere potuit, et didicit. Et tamen fuere, sed hi partium studio abrepti, qui dicerent eum fuisse hominem indoctum et stupidum, merito reprehensi ab Harenio in *Geusiis* T. II. pag. 176. Si verum est, quod narratur, eum aliquando sententiam Arminii laudasse, quam esse putaret Gomari, imperitia talium contentionum scientiam aliarum rerum minime excludit. Ostendere possum alios, Professores adeo, qui in Theologia Dogmatica exiguos fecerant progressus, ita ut non pauci discrimen huius illiusve formae religiosae ignorarent. Et difficile saepe erat non ignorare, quum novae identidem novis succederent. Est ea nimirum humani generis natura, ut post diuturnam servitutem, in licentiam aberret. Frenis coacti silentii semel solutis, modum loquendo ponere est difficile. Quid miremur, nonnullos religionem fecisse artem? Neque longi in Ecclesiis habiti sermones multum accommodati erant ad Principem instruendum. In Scaligeranis pag. 220 relatum legitur: « Quand il est au presche, il songe à autre chose, il devise ou badine. La religion des Princes est nulle. » Quod postremum minime de Mauritio dixerim. Patruelis tamen Mauritii, Guilielmus Ludovicus, diligentior in hoc genere erat.

P. 9. *Surculus arbor.* D. Heins. *Orat.* pag. 456: « Vix adolescens rebus patriae admotus, se atque annos ipse antecessit, et e surculo fatalis statim arbor atque immensa patriam munivit. » Vir doctus in *Mnemosyne* Tydemanni, Vol. V. p. 233, putavit hanc sententiam fuisse indicium animi, maiorem semper in republica potentiam meditantis. Mihi non credibile videtur, adolescentem quindecim annorum, patre et fratre natu maiore etiam viventibus, talem ambitionem iam tum praecepisse: ac fortasse eam sententiam iam prius sumsit.

P. 9. *Aequis oculis adspiciebat.* Exceptis Hebraeis, quorum historia nostrae tam similis est, nulla, puto, exstitit natio, in cuius rebus vestigia divinae Providentiae tam notata sunt, quam in nostris. Agnoscebant certe maiores, et operae pretium est videre Cunaei *Orat.* pag. 9. Spanhemii *Belgicae restitutae admiranda* 1674. Gaubii *Orationem* a. 1775, de *admirandis Divinae Providentiae documentis* caet. Valcken. *Orat.* pag. 194. Alia aetas vestigia ista minus agnovit, in quo nec plus sapientiae nec humanitatis perspicio. Grotius profecto non erat

homo nimis religiosus: quam aureis sententiis vir ille magnus *Historias* et *Annales* ornavit, quum divina erga nos beneficia animum ingentem commovebant! Veluti de Geusiis maritimis II *Annal.* pag. 35: « His tunc ministris uti supremae providentiae visum, cui fere placuit Belgicis in rebus ita humanam fiduciam et consilia illudere, ut nunquam simul essent spes magna et bonus eventus. » Alia loca indicavit Valcken. in Oratione l. Adde Orationes Perizonii. Tewaterus in Oratione a. 1780, de *Praestantia et dignitate Historiae Batavae* « huius Providentiae tot in historia Belgica sunt vestigia, tot illustriora argumenta, quot frustra quaerantur alibi. »

P. 9. *Mathematicum.* D. Heins. in *Orat. Funebr.* « Rerum prope omnium scientia, solidum de singulis iudicium. Nihil temere admisit, cujus ratio reddi non posset. Nemo eorum, quae perdidicit, tanto cum iudicio in usum publicum convertit. Praecipua Mathesis, Adyta Numerorum et Geometriae, Graphice, Optice, Isorropicae Potentiarum et Ponderum, Cosmographia, Geographia, Hydrographia, Astronomia. Opifices et sedentarios, si quid delinquerent, circino aut rationibus vincebat. » Mauritius amabat omnes Mathematicos, ac propterea quoque Iosephum illum Scaligerum. Scaliger identidem Hagam veniebat et Mauritium salutabat. Ad coenam adhibitus, ad latus Mauritii sedebat, cumque eo multa familiariter colloquebatur. Nec mirum. Nam non modo literarum erat peritissimus, aut epistolas regum et Principum Orientalium Mauritio et Ordinibus tantum interpretabatur, sed consultus etiam de inclinatione acus magneticae respondit, herbas et animalia, navibus nostris ex India apportata, nemo citius cognovit, et Cornelio Mylio exposuit de inventore instrumenti, quo aqua ex agris expeditissimo opere et minimo sumtu posset exhauriri. Cuius rei utilitatem perspexerat, quum hic ex lacubus et paludibus arva fiebant fertilia. Haec et alia de tanto viro, non adeo cognita, diligentius aliquando in vita illius exponam. Noster ille est. Academia ei mirum quantum debet. Ruhnkenius hoc habuit consilium, non perfecit: v. Wyttenb. *Vita Ruhnk.* p. 293. ed. Bergm. Talem igitur Scaligerum Mauritius amabat.

P. 9. *Rud. Snellium.* Clarum sui temporis Mathematicum, quem Tycho Braheus tanti faciebat, ut a. 1595. suum filium Leidam in illius disciplinam mittere voluerit, sicuti Snellius suum in Brahei. Vide *Epistolas ab Antonio Matthaeo* editas p. 153. Conf. de Snellii doctrina Cl. Moll in *Hist. Art. et Doctr. Neerl.* van Kampen, T. III. pag. 121 sq.

P. 9. *Cum Simone Stevino continuaverit.* De Stevino, quando et ubi Mauritium docere coeperit, et de tempore, quo liber Hollandus (*Wisconstige Ghedachtenissen*) in lucem prodierit, neque ipse accurate cognoscere potui, neque Meermannus in Annot. ad H. Grotii *Parallel.* T. III. pag. 504 sq. neque I. P. van Capelle (*Bijdragen tot de Geschied. der Wetensch. en Lett.*) neque van Kampen T. III. *Hist. Lit. et Doctr. Neerl.* neque Mollius in eodem libro ostenderunt. D'Escurius in *Laud. Holl.* T. VI. p. 41, multa de Mauritio et Stevino memorabilia composuit, sed hoc, de quo quaerimus, non agebat. Ipse locus et annus natalis tanti viri fere

ignorantur. Alii putant fuisse Bruxellensem, plurimi Brugensem. Alii alium annum ponunt, Capellus coniicit 1560. Sed haec quidem difficultas tollitur eo, quod inscriptum est in effigie picta Stevini, quae pendet in Bibliotheca Academiae nostrae. Pictam dico, quia multi eminus suspicientes, et ex nigro alboque colore coniecturam facientes, putaverunt esse figuram ex aere chartae impressam. Quod si verum esset, invenirentur, credo, plura exempla. Et praeter hoc nostrum, aliud nusquam invenitur. Sed, ut dixi, est imago picta in linteo. Nomen auctoris non additum. Neque scio cuius sit donum: fortasse filii., Henrici, qui a. 1649 et 1650 nonnulla ex Mss. paternis edidit hoc titulo: *Materiae Politicae, Burgherlicke stoffen, vervanghende ghedachtenissen der oeffeninghen des Doorluchtigsten Prince Maurits van Orangie caet. Beschreven door Simon Stevin van Brugge, Superintendent van syne Finance, Quartiermeester Generael caet. En uyt syn naegelate Handschriften by een gestelt door syn Soon Hendrick Stevin, Heere van Alphen, van Schrevelsrecht caet. Ghedrukt tot Leyden voor Adryaen Rosenboom, Schout tot Alphen.* » Henricus hoc opus dedicavit Guilielmo II a. 1649, et dicit se quoque militasse, sed munus posuisse. Eiusdem prodiit hic liber: *Verrechting van Domeine mette Contrerolle en andere behouften van dien caet. Tot Leyden ter Drukkerye van Iustus Livius. In het tweede jaar des Vredes.* Dedicavit viduae Principis Guilielmi II, et annus pacis secundus ostendit annum 1650. Huius igitur Henrici esse potuit donum effigies paterna, sive alterius, qui ab Henrico accepit vel ex relictis morte rebus emit. Circum eam effigiem legitur: *Natus Brugis anno* 1548. *denatus Hagae Comitis a.* 1620. *Simon Stevin. Mathematicus insignis. Consiliar. Celsiss. Mauritii Principis Arausionensium.* In libro, quem de *Numis Neerlandicis* ediderunt I. de Vries et I. C. de Ionge, expressus est numus, a. 1607 cusus, in quo effigies, quam putant esse Stevini. Similitudo quidem effigiei in Bibliotheca nostra haud ita magna est. De loco igitur et anno natali nunc satis constat. Caetera sunt obscuriora. Res ita accidisse potuit. Mauritius Leidam venit mense Iulio 1582, abiit Iulio 1584. Eo tempore Stevinum praeceptorem non habuit. Eum Hagae cognovit eodem a. 1584. Nam in Epistola ad Lipsium memorat exercitia Geometrica, *obstetricante praeceptoris sui* opera. Quem praeceptorem Stevinum fuisse arbitror, non Snellium. Stevinus nat. Brugis 1548, mort. Hagae 1620, in Hollandiam, ac primum quidem Medioburgum venisse videtur inter annos 1573 — 1578. Causa cur venerit singularis est. Eam cognovi ex libro Ms. in Bibl. Academiae nostrae, *G. van Ryckhuizen, over de geslagtregisters.* Erat ille viator Magistratus Urbani, et incredibili diligentia in originem et insignia gentium Hollandarum inquisivit. Fructus diligentiae exstant volumina quatuordecim fol. Diu multumque de Stevino investigavit. Vol. VI. pag. 250, annotavit: « Ik heb, om zijn wapen te weeten, na Brugge geschreven. Niet gevonden. Maar wel om wat reden hij daarvan daan is vertrokken. Het wapen staat in een boek door hem gemaakt, en is gevonden t' Alphen in de kerk, daar de zoon van Stevin Heer van geweest is. Het bestaat uit 14 rode bollen op wit veld, in de linker hoek een zwarte winkelhoek. » Stevinus igitur in sua gente non videtur invenisse armorium, sed fecit. Conspicitur in titulo libri Mathematici. Epistola autem Brugis accepta, haec est:

« Op u toegesonde memorie van Simon Stevyn of Stevin, dient, gevonden wort in den Boek van de Heiligh Geesters synde Poësie, dat' er een sekeren Simon Stevyn geboortigh van Brugghe geworden is confrater dato 16 Maart 1571, die schoolmeester was en een groot wys-constenaer, en een seer ervaeren Man. in faute hy niet heeft connen becommen vrydom van de Bier accyns, vertrocken is naer Middelburgh, sonder tot hiertoe te connen achter haelen syn waepen of wat kinderen hy achter gelaeten heeft, 't gunt voorder doen opsoeken in de tidel Collegien van Studenten als ook in het Siminaire, ende soo haest ids verders vernemende sal u schriven, waarmede blyve met diep respect.

« February 1753. I. H. Verplancken. »

Negatum igitur Stevino hoc privilegium nobis tantum Mathematicum dedit. Sed Mauritius cum eo studia Mathematica Hagae instauravit, continuavitque, quantum a negotiis liceret, ne in castris quidem omissa, usque ad annum 1602. Hoc anno Stevinus fructus studiorum et suos et Mauritii literis Hollandis explicatos, composuit. Mauritius in lucem emitti voluit sermone vernaculo, atque inde statim in Latinum et Francicum converti, ut peregrinis ostenderet, nos et disciplinas Mathematicas amare, et habere linguam, quae linguis Europaeis elegantia et facilitate nil cederet, multas etiam superaret. Quapropter ei sine dubio gratissimum accidit, quum H. Grotius a. 1599 librum eiusdem Stevini de *Limnereutice, sive portuum investigandorum ratione*, Latine reddidisset. Stevinus igitur, Hypomnemata Mathematica editurus, a. 1602 Leidam petiit. Nam quem interpretem Latinum invenisset meliorem Snellio, qui rem Mathematicam et linguam Latinam ita intelligeret? Grotius facere potuisset. Sed hic multa alia in manibus habebat, praecipue, ut arbitror, *Annales et Historias*, quod conficio ex verbis, quibus *Parallela* finivit (quamquam Burignius in *Vita Grotii* T. 2. p. 96. putat Grotium incepisse a. 1614). « Cum vero his tantis virtutibus talique ingenio accedat a Natura munita regio et incumbens mari, optime ordinata respublica, iustissima belli causa, res militaris consummatissima, aerarium plus quam mediocre, fortuna hactenus audiens; quis non spe animosa res olim maximas audeat sibi polliceri? Sumemus alacres hunc laborem, et, ut mores, ita caetera singulatim explicabimus, quae non minus scire exterorum, quam sciri patriae interest. » Grotius, summus Stevini amicus, consilium edendi operis Mathematici rescivit. Hinc in Parall. cap. XXV. et in Carmin. pag. 45. memorare potuit, tale Stevini et Mauritii opus esse proditurum. Quae causa fuerit, cur liber Hollandus (*Wisconstige Ghedachtenissen*) a. 1605 demum prodierit, latet. Fortasse Stevinus magis magisque expolivit, ad Mauritium de eo scripsit, Snellio partes Latine vertendas dedit, Grotium de Latinitate consuluit, et quae praeterea dilatae editionis causae esse solent. Volumen II versionis Snellianae habet etiam annum 1605, Volumen autem I annum 1608. Titulus est: *Hypomnemata Mathematica, hoc est eruditus ille pulvis, in quo se exercuit Illustrissimus et antiquissimo stemmate ortus Princeps et Dominus sq. a Simone Stevino conscripta, et e Belgico in Latinum a Wil. Sn. conversa. Lugd. Bat. Ex officina Ioannis Patii Acad. Typographi a.* 1608. In dedicatione Snellii nihil legitur de eo, quod scripsit Grotius, Mauritium *iussisse hos libros*

Latina lingua per interpretem loqui. Dicit Snellius: « Cum Mathematica tua Gymnasmata in meas manus venissent, quemadmodum illa Mathematicarum artium scientissimus et plane Archimedeus vir Simon Stevinus, Celsitudinis tuae ingeniosissimus Minister et quasi Iulii Caesaris alter Sosigenes, in unum volumen contracta, nostrate, hoc est, Batavorum lingua, in hominum manus emisit, et publici iuris esse fecit, ita statim illius viri opera laudata, ita materie ipsa probata fuit, ut in Latinum sermonem converti et sic quasi Romana civitate donari dignissima viderentur. » His ita a me disputatis, ipsa Grotii verba apponam, et laetabor, si quis ea vel melius interpretetur, vel hanc partem vitae Stevinanae accuratius exponat. Grotius in *Parall.* cap. XXV: « Primus maximo omnium applausu linguam nostram ornare, eaque disciplinas Mathematicas in vulgus edere aggressus est Stevinus, amicus et pernecessarius meus, rerum maximarum inventor, cuius laudibus plus adiicere non possum, quam quod a studiis est Illustrissimo Principi Mauritio. Eius ipsius Principis nunc in lucem prodeunt rerum Mathematicarum Commentarii, opus maximum et in unoquoque artium genere consummatissimum, cui nihil unquam aequale vetustas dedit. Hos libros cum ille Imperatorum sapientissimus, scriptos nostrate lingua, Latine Galliceque veluti per interpretem loqui iusserit, dubitare non patitur, quae omnium exprimendae rerum proprietati sit aptissima, quum ipse linguarum vires non minus quam artium intelligat. »

Alter Grotii locus est in *Poem.* ed. a. 1645. pag. 47 sq. In longo carmine laudat *Mathematica Principis Mauritii.* Hoc carmen etiam confirmat, quod supra dixi, et Meermannus etiam aliis argumentis ostendit, Parallela a. 1602 fuisse absoluta. Nam carmen compositum est eodem a. 1602, quod hinc apparet, quia in primo exemplo carminum manu ipsius Grotii deinceps scriptorum, servato in Bibliotheca nostrae Academiae, praecedit *Epitaphium Francisci Iunii.* Iunius autem mortuus est a. 1602. Grotius in hoc carmine ingenio et doctrinae omnia vela sic expandit, ut, si non unum ex elegantioribus, certe ex doctissimis, habendum sit. Hinc factum credo, ut homines eruditi, hoc testimonio in doctrina Mauritii mathematica utentes, raro coniunctam versuum partem citaverint, et Meermannus, hic callidior quam pro caetera animi simplicitate, nonnullos tantum eosque faciliores excerpserit. Accedunt multi errores typographici, in editione saltem a. 1645. qua plerique utuntur. His erroribus nonnulli versus inquinati, intelligi non possunt. Veluti pag. 50:

Militat ipse pater Mauris, et Sidera Divum
Coniurant, fertque arma sibi contraria Vesper.
Gratulor hoc nobis, Batavi; coelumque sub uno
Vivimus imperio. Tuque, o Germania, tantis
Quam quondam imposuit populis caput, inclyta gaude
Lugdunum, neque te Romani gloria montis
Tam iuvet, aut veteri Cattorum ab origine regnum.
Quam famulum vidisse polum: tu patria libro
Principis.

Hi, inquam, versus intelligi non possunt. Ipse Grotius scripserat, ut in Ms. legitur, et in edit. a. 1617 recte expressum est:

Militat ipse pater Mavors, et Sidera Divum
Coniurant, fertque arma sibi contraria Vesper.
Gratulor hoc nobis. Batavi coelumque sub uno
Vivimus imperio. Tuque o, Germania tantis
Quam quondam imposuit sq.

In eodem Ms. in fine additur hic versus:

Et modo nascentes spondent sibi saecula libri.

Liber Stevini et Mauritii Leidae *nascebatur*, Leida erat *libro patria*, Stevinus in eo componendo et editioni parando Leidae erat occupatus. Nunc *prodeunt libri*, dicit Grotius in *Parallelis*, hoc est: brevi editio erit absoluta. Editionem ipsam tres quatuor annos etiam esse moraturam, Grotius scire non poterat. Mauritius eos libros *per interpretem Latina Gallicaque lingua loqui iussit:* sed simul cum iusso factum non erat. Et interpretatio Francica Girardi a. 1634 demum edita est. Meermannus erat homo doctus et modesti animi, sed non sat Latine sciens, ut Grotium ubique intelligeret. Non tamen hoc meritus est, ut reprehenderetur, sicuti reprehensus est a Bilderdykio in *Historia Patriae*, idque ob errorem, quem ipse iam in T. IV. pag. 193. correxisset. Quod autem legitur in *Annal. Acad. Gandav.* a. 1822, p. 29, Stevinum reliquisse viduam cum undecim liberis, fuisseque pauperem, unde integritas in gerendis muneribus appareat; hoc sine idonea auctoritate sic dictum est: erravit auctor laudationis Stevinanae, tribuens verba Alberti Girardi filio Simonis Stevini. Albertus ille Girardus opera patris, quae inveniri potuerunt, edidit, et Ordinibus Generalibus et Frederico Henrico dedicavit: *Les Oeuvres Mathématiques de Simon Stevin de Bruges, où sont inserées les Mémoires Mathématiques, esquelles s'est exercé le Très-haut et Très-illustre Prince Maurice caet. Le tout reveu, corrigé, et augmenté par Albert Girard, Samielois, Mathématicien. à Leyde* 1634. Initium Dedicationis hoc est: « Voici une pauvre veuve avec onze enfans orphelins, aux quels le mari et père, decedé, il y a un an, n'a laissé qu'une bonne reputation sq. » Ergo pater Girardi decessit a. 1633, Stevinus autem 1620. Nec Stevinus tot liberos reliquit, sed unum, ni fallor, filium, duas vel tres filias. quae nupserunt Theologis in vicinia Leidae. De qua re nonnulla reperiuntur in *Mss. Ryckhuizenianis.*

P. 9. *Architecti militares.* Quantum ea quoque re valeret Mauritius, dixit Hornius in *Praefat.* libri Salmasiani de *Re militari Romanorum*: « Sic Mauritius Nassovius universae Architecturae militaris non tam instaurator quam author perhibetur. » Omitto alia testimonia. Et quid opus est, ubi res loquuntur? Dedi autem hoc consuetudini, ut appellarem *architectos militares*, quos appellare maluissem *ingeniarios.*

P. 10. *Non inveni nisi Lipsium.* De studiis Mauritii eximius est locus D. Heinsii *Orat.* pag. 4. « In hac Academia praeceptores aliquot, inprimis autem virum Nobilissimum, Hermannum Wittenhorstium, Sonsfeldi dominum, Praefectum primo, mox et Senatorem, habuit, quo neque aula, quae nonnunquam aliis sibique indulget, neque haec aetas quidquam vidit sanctius. Ex omnibus scientiis Historiam ac Mathematicen delegit. Ex historicis Annales Taciti audivit. Ex hoc caeterisque primum rei militaris et amorem duxit et scientiam. Ex his quomodo cingendae urbes, quibus locis, qua occasione de insidiis sit cogitandum, ex his quid lorica (nam ad nostram singula aetatem applicabat) agger, vallum, ex his regionum et terrarum situs, etiam nostrarum, et quae gesta sunt in iis proelia et bella, hausit. Ex his denique et assidua istorum lectione prima militaris gloriae ingentem animum intravit aemulatio. » Tota illa Heinsii *Oratio* multum facit ad ingenium Mauritii recte cognoscendum. Tacitum dicit Mauritio fuisse carissimum, talique animo aptissimum. Est totus ignis. Procurator Belgicae olim libertatem apud nos didicit, nunc rursus nos docet. Neque vero minus valebat, quam Tacitus, eius interpres Lipsius. Lipsium sic depinxit Grotius *Hist.* V. pag. 266: « Romanos mores veteraque tempora interpretando plurimum claritudinis Iustus Lipsius sibi locoque addidit, amoena morum gravitate supra professionem spectabilis, et sua quadam eloquentia plerosque alliciens. Nam cum floridum ipsi et profluens natura haud abnegaret, alterum maluit dicendi genus, concisum quidem, nec sine festivitate, sed vere novum obtentu antiqui: quod cum imitarentur, quibus ingenii iudiciique non idem fuit, ad corruptissima quaeque deventum est. » Lipsius Mauritio in aliis multis rebus utilis esse poterat. Nemo dubitabit, qui *Poliorceticam* et *Politica* legerit. Quamvis accurate teneret veteres historias, praesentia minime negligebat, vere plerumque iudicabat, ac de futuris callide coniiciebat. Testor vel unam epistolam, viro cuidam Nobilissimo scriptam, 3 Nonas Ian. 1595, in qua *inducias* Hispano utilissimas fore ostendit. Mauritius, si habuisset hanc epistolam, uti potuisset pro opinione sua, easdem inducias Hollandis fore noxias. Epistola est in *Epist. praetermiss. Decad. Sex.* Offenbaci 1610, pag. 215 sq. Denique Lipsius non erat imperitus Mathematices, neque artis pingendi, dolebatque Othonem Venium, cuius manus ipsi esse posset usui ad multa antiquitatis illustranda, a. 1584 Leidam reliquisse: I *Cent. Ep.* 60. De philosophia eius nihil addere opus est, quum libri *de Constantia* eodem fere tempore, quo Mauritius Leidam venit, prodierint. Talem hominem Mauritius non diligere non poterat. Quum Leidam reliquisset, brevi post ei gratias egit pro disciplina. Te Waterus in *Orat. a.* 1790, addidit ipsa Principis verba e literis, quas se autographas servare dicit: « Non committam ut per unas aut alteras literas in gratiis agendis perfunctus mihi videar meo officio: hoc potius dabo operam, ut perpetua animi gratitudine praestem, quod de me meruisti, et merebis, ut spero, in posterum, fabricando meo animo, nempe ut gratiam habeam. Doleo ex animo, ex obitu Illustrissimi Parentis, hanc etiam fecisse me iactuaram, quod cursus meorum studiorum fuerit interclusus, et, quod ego palmarium mihi ducebam, non liceat ex tuis praelectionibus haurire, quae tam fuissent formando meo animo. Per hos Etesiarum dies Sallustii bellum Catilinarium,

praeter exercitia Geometrica, obstetricante praeceptoris mei opera, perlegi; ad Constantiam tuam nunc accingor eo fine, ut in publicis hisce malis discam firmare gradum contra fatales has Belgicae turbas. Vale clarissime Lipsi, tibique persuade, te a me amari.» Haec epistola scripta est a. 1584. Quamdiu Lipsius erat Leidae, excurrebat identidem ad Mauritium salutandum. Leida ab eo relicta, Mauritius valde dolebat. An tamen consilium discessus non improbaverit, quod scripsit Hartius Lipsio ipsi in *Sylloge Burm.* T. I. pag. 169, dubito. Caeterum Lipsius semper de suo discipulo libens aliquid audiebat et loquebatur. Testantur multae epistolae. «Audio» inquit T. I. p. 688. *Syll. Burm.* «Mauritium Comitem, olim meum, totum in libris et historia nunc esse. Utinam verum sit, et magis utinam hauriat prudentiae et bonae mentis veras scintillas! Reperiet, si velit, et attendat.» A. 1587 Mauritius Lipsium fecerat Rectorem pro Saravia. Saraviam Rectorem a. 1586 Leycestrius continuaverat, *intellecta eius singulari prudentia et probitate.* Epistola Mauritii digna est, quae hic legatur. Exstat in *Actis Acad.* Cod. III. pag. 30.

Mauricius Arausionorum Princeps, Comes Nassoviae,
Marchio Veriae, Gubernator Hollandiae.

Accepimus literas vestras, Viri Ampliss. quibus nos, ut Rectorem, qui almae Academiae vestrae hoc anno praesit, eligamus, et eum, qui elapso anno eo munere functus est, eo ipso levemus, hortamini. Atqui cum nobis nihil sit prius aut antiquius, quam intelligere leges institutaque dictae Academiae vestrae rite observari, idque prae caeteris curemus maxime ut indies augeatur et accessiones exspectatione nostra dignas faciat (quod quidem eo facilius fieri potest, si is, qui praeest, sit vir doctus et pius), consultum ducimus in locum D. D. Sarraviae D. Justum Lipsium historiarum professorem eligere, Vobis mandantes ut illi pareatis, et tamquam Rectori dictae Academiae debitos honores et obsequia praestetis. Quodsi feceritis, rem nobis gratam et vobis vestraeque Academiae utilem facietis. Valete Viri ampliss. nosque vobis amicissimos habete. Datum Hagae Comitis Hollandiae ipsis Nonis Februariis A°. MDLXXXVII.

Vobis amicissimus
Maurice de Nassau.

Idem Mauricius Lipsium a. 1588 continuavit. Haec etiam epistola ad historiam temporum et indolem Maurii cognoscendam facit:

Accepi vestras literas, Viri Ornatissimi, ex quibus intellexi quale sit meum in Rectore Academiae vestrae nominando, sicut ex statuto felicissimae memoriae parentis mei Illustrissimi apparet, officium. Quaemadmodum autem illius erga vos propensissimum semper fuit studium, sic etiam et adhortatio exempli paterni, mea apud vos institutio et educatio, amor etiam patriae impellunt, ut et summis in rebus et mediocribus, Illustrissimi parentis

memoriam, erga vos gratitudinem, et in patriam pietatem modis omnibus testificer. Itaque cum nominandi Rectoris meae iam sint partes, sic ut vobis gratulor qui mihi tres viros graves ut eruditos proposueritis, ita Academiae causa gaudeo, illam nostris hisce exulceratis et miseris temporibus tales habere, qui ad talia munera gerenda sint idonei. Caeterum ubi magistratus Leydensis sententiam audivi, rebusque omnibus apud me et cum viris gravibus expensis, iudico D. Iustum Lipsium, qui iam Rectorem agit, continuandum esse, idque e re fore totius Academiae et civitatis, abs eoque peto ne Academiae hac in parte nec meae petitioni, quam iustam iudico, desit. Si quid vero erit, quo in posterum vobis prodesse possim, omnem meam operam et diligentiam a me exspectate. Deus, omnis sapientiae pater, vos diutissime servet incolumes. Valete Hagae III Februarii A°. MDLXXXVIII.

Vobis amicissimus
Maurice de Nassau.

Mauritius et anno sequente Lipsium continuasset. Sed ille nolebat. Itaque alium legit, postquam intellexerat Lipsium, *virum et optimum et doctissimum, eo onere defatigatum, velle levari*. A. 1591 iterum constituerat Lipsium facere Rectorem, sed audiverat eum curandae valetudinis causa in Germaniam cogitare. Rector legebatur quidem a Principe ex tribus nominibus, quae Senatus Academicus offerebat. Sed Mauritii nonnullam in ea re fuisse constat auctoritatem tacitam. Mauritius a. 1587, absente Leycestrio in Anglia, suum ius nominandi Rectoris recipiebat. A. 1586, postquam in Senatu erat decretum, Saravia Rector privato nomine Leycestrio Hagae gratularetur, et solemne epulum hoc anno non haberetur, quia timebant nimios sumtus, si Comes Leidam veniret et invitandus esset, B. Vulcanius cum Hauteno Hagam profectus cum Curatoribus deliberavit, Mauritius an Leycestrius nominaret Rectorem. Busio Curatori primum videbatur hoc deberi Mauritio, deinde, mutata sententia, Leycestrio. *Erratum* tamen fuit, ut Vulcanius in Actis scripsit. Statuta enim decernunt electionem novi Rectoris pertinere ad Gubernatorem Hollandiae. Leycestrius quo animo hoc tulerit, quod de Rectore nunc non esset consultus, non legi. Leidae fuit mense Octobri 1587, ut restitueret Donellum. Noluerunt Curatores. Epistola Leycestrii, qua Rectorem fecit Saraviam, data est Hagae a. Dñi 1586, 26 Ianuarii stilo antiquo. Hoc est unum de argumentis, de quibus exposuit Cl. de Crane in lib. *de stilo novo*. Caeterum Cl. Siegenbeckius in *Hist. Acad. Leid.* verisimile esse arbitratur, Mauritium etiam disciplina Donelli fuisse usum. Erat Donellus amicus Guilielmi I, quo honore se postea indignum ostendit, favens partibus Leycestrianis, eoque in exsilium eiectus. Vide Baylium, et Burm. *Syll. Epist.* T. I. pag. 46. Anno 1584, stipendium Donelli auctum est trecentis florenis propter rem gratam Guilielmo praestitam. Annotatum est in *Resolut. Curat.* Mss. Ea *res grata* videtur fuisse, quod in Academiam Altorfiensem vocatus, Leidae mansit. Vide *Acta Acad.* Vol. II. p. 96. et Burm. *Syll.* T. I. p. 119.

P. 10. *Docte et perspicue exponebat.* Non me latet, quid postea Salmasius in *Lipsiana Militia* reprehenderit: vide v. c. *Epist.* 77 ad Peirescium. Sed Lipsius erat fere princeps, qui hoc argumentum explicavit, multoque facilius est inventis aliquid addere eaque expolire, quam invenire et exponere ipsum. Dies diem docet. Hodie non minus est, quod in Salmasio reprehendamus. Atque iste Francus, iam natura non valde modestus, nimiis honoribus, quos Hollandi in eum effundebant, lasciviebat, atque hoc inprimis egisse videtur, ut Lipsio et Scaligero maior haberetur. Difficile est erudito homini se ipsum nosse, cui, in Franciam proficiscenti, Ordines Hollandiae naves bellicas in praesidium dederunt, et reverso Burgimagistri Leidenses aulam Principum ipsi et familiae, habitandam, quoad viveret, concesserunt! Vix credibile videtur, sed constat ex epistolis horum temporum, et narravit Antonius Clementius in *Vita Salmasii.* Quid regi maius facerent?

P. 10. *In castris libro delectabatur.* Franc. Raphelengius Epist. *Syll. Burm.* I. p. 206 ad Lipsium: « Militia tua hic omnibus probatur: Principi praecipue, cui, dum in castris contra Dragonium est, unicae delitiae eius lectio, et saepius militum ad eam forman exercitatio. Mediocriter Latinum sermonem recoluit. Totus insuper est in studiis Mathematicis, quatenus ad munitiones. » De exercitatione ista militari Sandelinus ibid. T. I. p. 744. anno 1595: « Comes noster Mauritius interim, dum Hagae in ocio est, milites suos pugnare Romano more docuit. Sexaginta pedites hastati ab una parte: quadraginta item pedites ab altera, muniti Romano scuto, ritu antiquo. Fit pugna, frustraque oppugnantibus hastatis Scutati diu firmi stetere; post, quorundam violentia ac agilitate submoti, ita tamen, ut plurimum dignitatis et laudis referrent. Haec ex Fabricio quodam hausta Principem Mauricium, talium rerum curiosum, in experimentum impulerant. Fuit omnino iucundum spectaculum, fervorem militum finiente tympani sono. » Lipsius Sandelino respondit: « De Mauricii sensu in militia gaudeo. Bonum illud periculum, sed, si ego arbitror, aliter instituendum: non enim unus ordo, id est sexaginta milites cum sexaginta committendi, sed plures aliquot manipuli. Et coniunctio illa est, et mutuum auxilium, quod vires dat, ut in aedificiis ligna. » Nec de Hollandis fere loquebatur Lipsius, quin opera eorum militaria cum Romanis compararet. Cent. III. Epist. 91: « Magnae, mirae non credendae in brevi illo tempore Batavorum munitiones (apud Buscoducum). Dixi tibi, et verum est: Romana opera et militiam imitantur. » Sic erat Mauritius. Omnia fere, quae contemplando didicerat, experiebatur quam utilitatem agendo habere possent. Laudarunt hoc in eo studium Heinsius *Orat.* p. 4. Wesselingius *Orat. a.* 1748. *de Natali Guil. V.* Graevius in *Obitu Guil. III.* pag. 11. et Valcken. *Orat. a.* 1749: « Neminem habuerat inter vivos Mauritius, quem imitaretur. Ingenia diviniora multis in rebus respuunt humanas leges: sibi sunt lex. Aliis exempla praebent. » Quam severus fuerit Mauritius in servanda disciplina militari, non latet. Nec sine ea tantas res gerere potuisset. Lipsius eam in Romanis praecipue admirabatur. Lovanii fortunam adversam Hispanorum identidem cognoscens, nulli fere causae, nisi neglectae disciplinae, tribuebat. Testes sunt variae epistolae. Nec scribere audebat, sed videre possis eum saepe

cogitasse. « Quanto melior discipulus meus Mauritius! » Scio nonnullos hanc Mauritii in bello praestantiam tribuere exemplo, quod praeibat Guilielmus Ludovicus. Et vero hic, qui maior esset natu et prius rebus admotus, ante Mauritium artem Romanam in actionem transtulit. Sed uterque didicit ex praeceptis eiusdem nationis, Mauritius etiam ex fonte meliore. Guilielmum Ludovicum in hac re imitatus est Guilielmus Fredericus Gubern. Frisiae caet. de quo Ulricus Huberus *Orat.* XI. pag. 236. Quid Henricus, Princeps Arausiae, a Salmasio discere voluerit, infra videbimus. Guilielmo Ludovico Nassavio, Frisiae et Groningae Gubernatori, Mauritii patrueli, tam felici esse non contigit, ut haberet Lipsium praeceptorem. Huic tamen Reydanus loca Graecorum Romanorumque scriptorum in sermonem vernaculum vertebat, eamque Tacticam princeps per imagunculas militum plumbeas in mensa cum Cornputo suo experiebatur. Narravit Harenius in annot. ad *Guilielmum I. Tragoediam*, et dicit se etiam nonnullas imaguncularum vidisse.

P. 10. *Cognoscens Lipsius.* Iam Lovanium cum Leida mutaverat. Quae causae ipsum moverint, ipse dixit T. I. *Syll. Burm.* pag. 19: « E Batavis, quaeris, quid me abduxerit? melior ratio, nisi erro. Iam diu hoc agito, et in communibus istis turbis stationem illam elegeram, non sedem. Quis bonus aut sapiens iis velit me iungi, quorum non aequa satis causa videtur, nec, quidquid nunc fortuna rideat, firma? Deus nobis et rex ante oculos, atque etiam fama, quam hic servaturi videmur et propagaturi magis illibatam. » Et in Cent. III. *Miscell.* Ep. 87: « Relinquere eos Religio et Fama adegerunt. » Grotius, ut solet, gravissime *Hist.* V. pag. 264: « Lipsium metus publicus et privata iniuria mutandas ad partes impulit. » Burmannus in Praefat. *Sylloges* suae et in annotationibus ad Epistolas iniquius et acerbius de animo et eruditione Lipsii iudicavit. Lipsius Academiae nostrae magnum fuit ornamentum. Dousa et alii tantum iacturae nos illius discessu facere loquebantur, ut interitum metuerent. Conf. et Baudii *Epist.* p. 40 et 50. Baudius, qui tunc in Franciam cogitabat, I. Dousae suasit, ut Scaligerum quaererent Lipsio successorem. Sed hic apparuit, quid libertas ad artes doctrinasque recte colendas valeat. Pro Lipsio accepimus Iosephum Scaligerum, virum maiorem. Lipsius rem Lovanii labentem sistere non modo non potuit, sed ipse morbi contagione implicatus consenuit, et Lipsius Lovaniensis quantum mutatus ab illo Leidensi! Si fieri potuisset, libens, credo, ad nos rediisset. Quidquid Leidae accideret, de Scaligero inprimis, amici Lovanium scribebant. Ille tamen Scaligerum magni faciebat. Quod Lipsius clam antiquam religionis formam servabat, hoc illis temporibus non mirum. Multa requiritur animi constantia, ut semel relinquatur, quod a teneris impressum est, sicuti praecepta religionis imprimebantur. Multa hominum millia faciebant, quod fecit Lipsius. Cognoscimus ex plurimis doctorum virorum epistolis. Hugo Grotius, pene puer, matri suae tandem persuasisse dicitur, ut auctoritatem Pontificiam desereret. Neque Hugo ipse omnia Ecclesiae Romanae instituta adeo spernebat. Curia Hollandiae, quo testimonio etiam usus est Capellus in *Vita Philippi Guilielmi* p. 172, aliquando testata est, maximam hominum partem his temporibus revera et ex animo veterem doctrinam sequi.

P. 10. *Nuntium afferentes.* D. Heins. *Orat.* « Huic maximo scriptori (Tacito) ac docenti Lipsio fuisse intentum saepe audivi, cum de morte patris nuntium accepit. »

P. 10. *Absens in epistola.* Epistola manu Mauritii scripta servatur in scriniis Academiae nostrae, *Actor.* Vol. II. p. 116. et ab aliis iam edita est.

Mauritius Comes Nassoviae, Catmelibocorum Viandae caet.

Gratius equidem aut acceptius, Viri Amplissimi, nihil mihi accidere potuisset, quam rebus meis hic quomodocunque compositis, ilico Lugdunum ad almae Academiae vestrae tamquam ad matris dulcissimae gremium potuisse reverti, et tam ei quam vobis ob accepta benevolentiae officia debitas gratias agere. Postea vero quam amplissimis patriae nostrae Ordinib. visum est me hic remorari, quo facilius ac promptius illis in praesenti onere quod pro aris et focis susceperunt, mea quantulacunque opera adesse possim, ideoque facultas explendi tam iusti desiderii mihi sit adempta, facere non potui quin A. V. candidum et gratum animum meum erga vos et almam vestram Academiam hisce saltem literis, dum aliter non licet, affirmarem. Scio praesentia vestra in me beneficia. Expertus sum indies singularem benévolentiam, assiduum studium, et amorem in me vestrum. Etsi vero et facultates et fortunae meae in eo loco sint, ut aequam vobis talionem reddere nequeam, persuasum tamen habeatis volo, memoriam eorum omnium mihi, quoad spiritum duxero, fore gratissimam, meque et opera et studio meo, licet tenui, nunquam vobis defuturum. Valete viri amplissimi meque solito posthac amore semper amplexum tenete. Delphii XIX Septembris A° M. D. LXXXIII.

A. V.
deditissimus
Mauritius Comes a Nassau.

Titulus epistolae, est: « Amplissimis ac Doctissimis Viris Dño Rectori et almae Lugdunensis Academiae Professoribus apud Batavos. » Responsum Academici Senatus hic in lucem proferam ex *Actis* Academicis, God. II. p. 118:

Illustrissime Princeps.

Tametsi perspecta nobis antea satis erat, multisque illustribus argumentis explorata singularis tua erga Academiam hanc benevolentia, gratissimum tamen fuit eam ipsam in amantissimis literis tuis, veluti in speculo, expressam agnoscere, agnitam exosculari. Quamvis vero longe optabilius nobis fuisset Excell. T. veluti postliminio ad nos reducem coram intueri, quippe qui probe nobis conscii simus, quantum ornamenti dignitatisque praesentia tua, quantum

etiam incitamenti ad doctrinam, virtutem ac pietatem tuo exemplo capessendam esset additura: adeo tamen in patriam atque Rempublicam iniqui non sumus, ut privatum nostrum sive commodum publico anteferri ullo modo velimus, nedum optemus. Quin potius Amplissimis Hollandiae Ordinibus gratulamur, quod eum τοῖς τοῦ κοινοῦ οἴαξιν Reipublicaeque clavo adhibuerint, in quem non paterni tantum splendoris et dignitatis, verum etiam prudentiae reliquarumque virtutum omnium successio quam optime cadit. Quas quidem ut Deus Opt. Max. quotidie magis et magis divini sui Spiritus aura afflet foveat atque adaugeat, ad aeterni nominis sui gloriam patriaeque salutem ardentissimis votis precamur. Immensas interea Excell. T. gratias agimus pro amicissima ista clementissimaque animi erga nos sui significatione, utque eam porro conservare velit, etiam atque etiam rogamus, planeque sibi persuadeat, omnia nostra officia ac studia absque ulla exceptione laboris aut temporis Excell. T. semper fore paratissima. Lugduni Batavorum A° 1585 Sept. 14.

Mandato Sen. Academici
B. Vulcanius.

P. 10. *Huic orationi facta convenerunt.* Quod Mauritius tantam operam dedit ut Scaliger Leidam veniret, magni instar beneficii est. Nota est epistola, quam Henrico IV, regi Franciae, scripsit. Minus cognitum, scripsisse et Coligniam. Epistolae exemplum servatur in *Resolut. Curat. Mss.* Vol. II. p. 274, scriptae 9 Ianuarii 1593. Quid Mauritius a. 1586 fecerit, quum Academiam hinc Ultraiectum transferre Leycestriani volebant, non comperi. Ultraiectini usi sunt favore Leycestrii. Falsos rumores dispergebant, rem ipsis Leidensibus fore gratam, si Academia tamquam onere liberarentur. Documenta historica reperiuntur apud Mierisium et Kluitium. Iam die 6 Maii 1586, ut annotatum est in *Actis Acad.*, « Consules in Senatu Amplissimo dicebant, intellexisse D. Dousam Curatorem, tractari a nonnullis clam de transferenda alio Academia, et monitus fuit Saravia, ut, si quid de rebus Academicis ageret aut moveret, magis ex dignitate utilitateque Academica fore, si de consensu Professorum et Consulum id ipsum ageretur. Reddidit Saravia (accusatus etiam frequentioris absentiae) causas absentiae non plenas, sed quod vocaretur interdum a Comite Leycestrio ad communicationem negotiorum Ecclesiasticorum. » Conf. Fabricii *Orat.* pag. 30. et Gaubii pag. 25. Fabricius: « Magistratus Leidensis, cum aemuli quidam, invidia felicitatis urbis una cum Academia crescentis impulsi, fervida agitarent consilia, de ea in aliam civitatem transferenda, palam testati erant: se passuros potius omnia sua diripi, quam hac se privari. » Atque ea res fortasse movit Scaligerum, ut putaret Leidenses ab Ultraiectinis non amari. Vide *Scaligerana* pag. 361. Bilderdykius idem putabat. Et constat diversa Provinciarum in multis negotiis commoda saepe movisse aemulationem.

P. 10. *Pecuniam qua aleretur.* Conf. Meermannus in *Annot.* ad *Grotii Parallela*, Wagenarius *Hist. Patria* Vol. VIII, et additamenta. Idque non unanimi omnium consensu factum est.

Goudani v. c. refragabantur. Ipse Goudanorum de hac re libellus nuper Hagae mense Maii palam in auctione venditus est. « *Origineele Resolutien van die van Gouda*, om t' verzoek aftestellen tot consenten van 6000 a 7000 guldens, tot betaling der schulden van Prins Maurits te Leyden gemaakt, alsmede wegens de lossing van t' Pandschap van Geertruidenberg, 7 Ian. 1585. »

Quùm Hollandi *actum Seclusionis* defendebant, in fine indices adiecerunt, in quibus annotarunt, quantum pecuniae Mauritius, Fredericus Henricus, et Guilielmus II, nomine stipendii, salarii et pro parte ex praedis publice acceperint. Summa erat viginti milliones. Quos si per annos sexaginta sex distribuas, redeunt quotannis tres modii auri. Vide Kluitium (*Staatsregeering* III. p. 287.) Tali modo inire rationes, non est alienum ab ingenio populi, mercaturae inprimis addicti. Laetor tamen pecuniae, Mauritio dono datae, non iniectam fuisse mentionem.

P. 11. *Rationem Ephemeridis habendae Italicam.* Narravit Stevinus et causam et rationem huius disciplinae. Mauritium nimis ad rem attentum fuisse, dicit La Pisius in *Vita* pag. 809: « Maurice a été blasmé de trop d'espargne, a tousiours mieux recogner un service de la bouche que de la bourse, et un sien subject se plaignant d'en estre mal recognu, Regardes, dit il, ce sien pourtraict, on ne le pouvoit mieux peindre, que le poing serré. » Narravit Leeghwaterus, se a Mauritio Hagam invitatum, Principi ostendisse quantum temporis sine periculo et noxa sub aqua degere posset, dixisse ipsi et socio Principem, sese probe in bono deversorio invitarent, et postero die dedisse praemium rei bene gestae. Annotatum est alicubi e Mss. Leeghwateri, eam pecuniam fuisse exiguam, ut ne sumtui quidem itineris, Alcmaria Hagam facti, suffecerit. Licet iusserit, vel certe ipsi fore gratum significaverit, libros Stevini in linguam Latinam converti, interpretatio Snelli, duo volumina in folio, ut dicitur, excusa est solis impensis Typographi. Snellius Mauritio dedicavit, « praesertim quia Typographus impensis suis excusa typis divulgare volens, illud a me rogaret serio. » Melius hoc quod narrat Hooftius in *Epist.* p. 5. reprehendens luxuriam aequalium: « De bedorvenste mogen te recht raaken, door den goeden voorgang van zyn' Excellentie, die zoo bescheidelyk d'aanzienlyke staatelykheit zynes hofs met zuinigheid weet te mengen: indien dezelve haar zomwylen verzoekende, met zyn geschikte heerlykheit haar slordige onmaatigheit al stilzwygende beschaamde. » H. Grotius in *Parall.* cap. XIII. « Nunc tandem ab aulis ad primorum civium aedes sobrietas processit, et desinit culpa more defendi. Spes haec certissima emendationis est. Optime enim inde nascuntur virtutes, unde vitia oriri solent. »

P. 11. *Luctus solatium.* Grotius *Annal.* p. 86: « Nullum unquam funus tanto populi luctu, et prope desperatione, celebratum est. Solatio fuit, quod Mauritium, qui tum decimo et octavo aetatis anno Lugduni Batavorum sapientiae studiis inhaerebat, ob indolem virtutis, et ut parentem, libertatis auctorem, grata memoria remunerarentur, publicae curae licuit

imponere.» Thysius in *Orat.* a. 1659: «Non erat effoeta Nassovia virtus, verum publicae libertatis paternaeque caedis vindex Mauritius in ipso adolescentiae vestibulo ex hac augustissima aede ad imperium vocatus.» Hemsterh. *Orat.* a. 1747. «Ab hoc literato pulvere Mars ille Batavus Mauritius in campum et pulverem bellicum est pro ductus.» Drakenb. *Orat.* a. 1747. «Mauritius, qui in studiis humanitatis et literarum se exercens, adeo nullam adhuc rerum agendarum peritiam sibi acquisiverat, ut Philippus Comes Hohenlous ipsi legatus adiungi debuerit.»

Mors Guilielmi I Leidae quoque ingentem dolorem et metum fecit. Numerus adolescentium Academicorum decrevit, neque in illa trepidatione funebris oratio habita est. In *Actis* tam *Senatus Academici* quam *Curatorum* altum est silentium. Postea quidem nihil fere in domo Arausiaca memorabile accidit, quin hic celebraretur. Huic studio ingentem Orationum copiam debemus, unde ad meliorem variarum rerum notitiam proficere possumus. Quod tamen Cicero in *laudationibus* Romanorum funebribus reprehendit, hoc de nostris saepe valet. Factio Arausiacae inimica nimias adulationes minus continebat, quam putasses. Mauritius hic laudatus est a D. Heinsio. Exstat *Oratio in obitum Illustriss. et invicti Principis Excell. Memor. Mauricii, Dei gratia Principis Auriaci, Comitis Nassaviae*, caet. *habita ex publico mandato* 19 *Sept.* 1625. Postquam Heinsius communem luctum et funus descripsit: «Soli Academiae Parentes atque haec civitas invicta morem populi Quiritium Romani imitandum iudicarunt.» Orationem Heinsii Rivetus in sermonem Francicum convertit: *Harangue Funebre, faite à la memoire — en l'Université de Leiden en Hollande — du Latin de Dan. Heinsius*, 1625. Rivetus in Epistola dedicavit Amaliae Solmensi. Exemplum et mos in rebus Academicis multum valent. Itaque Heinsium deinceps alii Professores imitati sunt. Neque Professores tantum, sed etiam privati homines et adolescentes, et praeter res et funera Principum, alia quaevis memorabilia celebraverunt, in quibus Dan. Colonius a. 1629 recitavit *Orationem Panegyricam de Illustri Victoria, quam amplissimi rerum Indiae occidentalis administratores, ductu magnanimi Herois Petri Henrici VI Idus Sept. a.* 1628, *capta Hispanorum classe, retulerant.* Heinsius Colonium, ut hoc faceret, incitasse videtur, eumque in Carmine Orationi praefixo, valde laudat, qui solvisset omnium nomine, quod omnes debebant. Neque hoc Colonii exemplum imitatione caruit. Simon Gakel die 2 Octobr. 1638 memoriam *Leidae obsidione liberatae* celebravit. A. 1686 Curatores decrevere aureum vel argenteum numisma literarum studiosis, qui orationem vel carmen recitassent. A. 1688 numisma aureum datum est Arentio Baroni a Wassenaer, quod habuerat Orationem die 14 Nov. 1687, qui erat dies natalis Principis. A. 1689 filius Iensii recitavit poëma *de rebus in Britannia mutatis*, donatus aureo numismate. Idem honos contigit H. Boerhavio, Theol. et Philos. Stud. pro Oratione, in qua explicavit *sententiam Epicuri de summo hominum bono.* Ut alia plura exempla omittam, a. 1754, Ev. Lamberg, Regi Sueciae a sacris Anglicis, datum numisma ex auro propter Orationem habitam in Auditorio Maiore de *laeta hodiernae Sueciae facie, collata cum tristi priorum temporum vultu.* Conf. additamenta libro A. Severini de *Leida obsessa et liberata*, editionis quintae. D'Escurius quoque in *Laudibus Holland.* hoc argumentum attigit.

P. 11. *Materno genere traxit.* Henricus, ut narrat La Pisius, more Francico educatus, habitu et specie longe erat elegantior quam Mauritius. Spanhemius in *Laudat. Funebri:* « Nec Germani Gallicique sanguinis mistura Heroi nostro sine divino munere obtigit, ut, qui maximus esse deberet, utriusque gentis toto orbe clarissimae decora temperamento singulari unus referret. »

P. 11. *In Franciam redire voluisset.* Accipiebat quoque stipendia ex aerario Francico, sed tarde soluta, Conf. epistola Fred. Henrici in *Hist.* Bilderdykii Vol. X. p. 804. Anno 1589 mense Aprili Rex Henricus literas illas dedit ad Mauritium. Edidit J. C. de Jonge (*Verhandelingen en onuitgegevene stukken*) T. II. p. 210. Non iniucundum erit, credo. lectoribus, si partem repetam: « Pour ce qu'à ce que j'ay entendu vostre conseil pourroit faire quelque dificulté sur la personne de son fils vostre frere que j'entends estre sy cher à la Mere, que c'est chose inseparable, J'ay exprès voulu vous escripre ceste lettre en sa faveur, pour vous assurer, Mon Cousin, que j'estime tant vostre amityé, et en reconnoys les utilités sy evidentes, que ny pour elle, ny autre quelconque, Je ne vouldroys permectre que mon authorité servist contre vous en vostre estat d'Orange, où elle desire se retirer, et que jamays je ne souffriray quelle ny son fils y puissent rien entreprendre contre vostre vollonté. Et quand à ce qui tousche vostre frere, j'estime au bas eage ou il est, qu'il ny a personne quy en puisse avoyr plus de soing que la mere; Je croy encores que quant Dieu voudroit qu'il grandist avec moy, que vous ne luy plaindriés pas ceste nourriture. Toutes foys je vous assure et vous promets, et à ces deux promesses je vous donne ma foy et ma parolle jusques icy sy soigneusement conservés, que je vous le renvoyray, veuille la Mere ou non, soubdain qu'il aura l'eage de douze ans ou plustost encor, sy vous le demandés ainsy. Je voudroys que vous feussyés sy bon fils qu'il vous preist envye de l'accompagner jusques à la Rochelle; Je m'assure que vous vous y trouveries sy bien, que pour trois ou quatre mois nous vous ferions oblier vos marescages. » A. 1582, quo dux Andegavensis in Neerlandia erat, actum etiam fuit de Mauritio in Franciam discendi causa mittendo. Ordines pecuniam decrevere, qua Leidae aleretur. Si cogitemus, quibus modis Franci aliquando amicitiam Guilielmi I ambierint, nunc Mauritium deinde Fredericum Henricum invitaverint, ut tempora sequentia praeteream, fere est ut putem, angues in illa herba iam tum latuisse.

P. 11. *Guilielmus II infamatus est.* Ianus Vlitius scribebat N. Heinsio Mediolanum a. 1648: « Schola Illustris Bredana, etsi Rivetum, Dauberum ic. eruditissimum aliosque Professionis suae peritissimos habeat, successu suo nondum fruitur. In causa est Principis ad alia quaevis maior, quam ad honesta, inclinatio. Venatur ille, coniugis immemor, sed Veneres suas: in silvis quoque immodicus: in circo, (quem litus maris facit) cursor quotidianus; inter aleatores Gallosque adulatores assiduus. Scenam quoque, publica auctoritate proscriptam, privatis instruere dicitur sumtibus. Heu quantum a patre avoque degener! Sed nolo foris domesticam infamiam evulgare, nec fastidium patriae nostrae tibi parere. Redux cognosces, quantum Gallica societate profecerimus in eorum imitationem. » Epistola Vlitii reperitur in *Sylloge* Burmann. T. III. pag. 724.

P. 11. *Ianus Dousa minor.* Meursius in *Athenis Batavis*, postquam illius doctrinam laudaverat: « Huc accedebat pietatis, castitatis, sobrietatis modestiaeque studium, etiam usque ad miraculum. Ob has virtutes Henrici Frederici Nassavii studiis praefectus. Dousa pater in I *Funebr. Carm.* 2. dicit carum fuisse Henrico:

Nec quod Hero Comiti carus tot dotibus esset
Frederico, fortis Aurasii soboli.
Felix, o, talis cui copia facta Patroni.
Debuit et Dousae non nihil ille meo.

Idem Dousa *lib. II. Funebr.* pag. 110. ubi, laudatis filii virtutibus, sic pergit moestus pater;

Et hisce pleniora nosse qui volet,
Licebit Hagiense is oppidum petat;
Ut alta, Franca quae colit Colignia,
Palatia intret; hic, ubi biennium
Alumnus egit; audietque (nemine
Fidem abnuente) quam hicce carus omnibus
Amabilisque, Principi ante caeteros
Herae, et comes Fredrice vixerit tibi.
Merere comitate visus id sua
Modestiaque, dum foro uti et Aulicis
Sua usquequaque facta dicta moribus
Studet probare, commodare pluribus,
Nocere porro et invidere nemini,
Sed obsequendo quemque demererier,
Palaestra seu terenda, sive ludicra
Cienda pugna, sive in orbe mobilem
Et arctiore gyro equum reflectere
Foret libido: sive contumacia
Lupato et oris edomanda duritas:
Habena sive danda cursibus foret,
Et incitanda calce ferreo fuga:
Praeire sive verba, vel modos choris
Moneret Aula, sive folle missili
Globove membra roborare, seu pilae
Placeret arte.

Ex quo carmine simul apparet Dousam non fuisse tam rusticum, quam nonnulli puta-

verunt. Atque hic praeclarus adolescens quo die cuius anni natus quoque mortuus sit, diversis adeo modis tradiderunt scriptores, ut fere ignoretur. Meursius in *Athenis Batavis* narrat mortuum esse a. 1597, et Hagae in sepulcro sculptum: VIXIT ANN XXV MENSES XI DIES IV. Eundem annum memorant alii, alii annum 1596. Hi fortasse decepti sunt verbis Iani Dousae patris, qui in epistola ad Georgium Dousam, edita in huius *Itinere Canstantinopolitano*, scripsit: *obiit ille* XII *Kal. Ian.* Scripta est ea Dousae patris epistola XIII Kal. April. a. 1596, stilo novo. Cl. Siegenbeekius in Laudat. Dousae p. 131 non videt, quomodo haec inter se sint concilianda. Neque ego video, nisi statuamus moestum parentem scribere voluisse Latine, cogitasse Hollande. Inceperat Latine XII *Kal.* Debuisset continuare Latine et ponere *Februarias.* Imprudenti excidit tristis *Ianuarii* mensis. Fieri etiam potest ut *Kal.* sit delendum. Nam in fine epistolae tantum utitur Romano more XIII *Kal. April.* In ipsa epistola bis secutus est recentem morem, VI *Augusti* et XIII *Decembris.* Ita Dousa filius mortuus esset vel die 20 Ianuarii a. 1597. Si mortuus est die 20 Ianuarii 1597, ex inscriptione sepulcri confici potest, esse natum die 6 vel 16 Februarii a. 1571. Hoc discrimen, ortum ex ratione veteris et novi stili, non recte explicari potest, nisi fortasse ex libris, in quibus annotatum est, quo die infantes Sacro Baptismate tinguntur.

P. 12. *In Academia Pluvinelli.* Narravit Commelinus. Henricus cum matre Colignia et Dousa erat Parisiis apud regem Henricum IV, et cum aliis celebrabat nuptias sororis, quam uxorem acceperat dux Tremuliensis. Caeterum ipsam equitandi artem Mauritius, Henricus, caeteri, et merito, accurate discebant Mauritius scientiam Mathematicam hic quoque adhibuit. Res nota ex Stevino. Conf. et D'Escurius *Laud. Holl.* T. VI. p. 47.

P. 12. *Commentarios Caesaris.* Commelinus et alii narraverunt. Frid. Spanhemius IV. Id. Mai. a. 1647 dixit *Laudationem funebrem Fred. Henrici*, quae repetita est a Batesio in *Vitis Selectorum aliquot virorum* Londini a. 1681. Hic Principis doctrinam ita laudavit: « In Geometricis, Geographicis, Nauticis, Mechanicis, Poliorceticis, et Architectonica militari regnabat. Historiam veterem et recentem tenebat, si quisquam. » La Pisius in *Vita* pag. 812: « La notice de plusieurs langues, qui luy sont familieres, a esté illustrée par le scavoir qu'il s'est acquis outre l'ordinaire de la pluspart des Princes. Aussi est il amateur des lettres et des hommes lettrés, par une naturelle inclination, qui le porte à leur faire du bien. »

P. 12. *Historiae audiendae.* Dousa incepit *Annales Bataviae Hollandiaeque*, quos pater absolvit. Ordines pro dedicatione insigne praemium decrevere. Nomen paternum Dousae multum favebat, et defensa Leidae obsidio per cunctam Europam celebrabatur.

P. 12. *Henricus Fredericus.* Filius Guilielmi I accepit nomina *Frederici Henrici*, alterum a *Frederico* II rege Daniae, alterum ab *Henrico* rege Navarrae. Ordinem nominum saepe variavit. Wage-

sausarius *Hist.* VII. p. 510. putat Principem, postquam Henricus factus est rex Franciae, se appellasse *Henricum Fredericum*, eoque interfecto, *Fredericum Henricum.* Sed ostendit vir doctus in *Analectis* T. XI. pag. 5—7, Principem, post mortem Mauritii, usurpasse nomen *F. Henricum.* Et La Pisius dixit *à son advènement.*

P. 12. *Anno aetatis fere undecimo.* P. Wesseling *Orat. ad W. C. H. Frisonem* pag. 12. « Tua gens legibus annalibus, quas aut Natura constituit, aut scripserunt homines, videtur soluta, neque eam aetatis angustiae a disciplinis perdiscendis excludunt, nedum fortibus ausis et prudentibus prohibent consiliis. Habeo locupletissimos veriverbii huius testes tuos Maiores. »

P. 12. *Carmine salutavit.* Eucharisticon ad Illustriss. Comitem Henricum Fredericum Nassavium, Guilielmi f. quod Lugdunum Batavorum venerit studiorum caussa: in Iani Dousae filii Poëmat. pag. 36. Dousa in Academia etiam Henricum in literarum studiis adiuvit. Erat natura simplex et bonus, et qui magis libros quam homines nosset. Sed quamquam illis vere impalluisset, hos tamen non ita negligebat, neque in ipso vitae usu tam stupidus erat, quam nonnulli ex *Scaligeranis* confecerunt. Ne dicam Scaligeranis istis similibusque libellis non semper magnam fidem esse habendam, quod saepe viri docti admonuerunt, videamus ipsa Scaligerana: *Ianus estoit simple et idiot. Ianus filius nunquam fuisset aptus rebus gerendis. Ils sont tous fort simples, comme le Pere et la Mere aussi. Le pauvre Ianus estoit si bon et simple. Je pleuray huict jours durant comme une vielle.* Iam si cum his dictis compares, quae Scaliger in *Epistolis* ad Baudium et alios de Dousa scripsit, credo eum in Dousa maiorem elegantiam et levitatem, qua Franci sui censebantur, desideravisse. Principi Henrico certe non inutile erat tale ingenium cognoscere, indeque aliquid trahere. Erat Leidae *Oratorium Collegium*, in quo eloquentia, quae dicitur, exterior addiscebatur. Pars una non contemnenda Ianus fuisse videtur. Iusto Lipsio huius Collegii nomine *coronam lauream* obtulit, et Franc. Raphelengio *Herculem Gallicum* in tabula depictum. Vide *I Dousae fil.* poëm. pag. 203. Lipsius II. Cent. ad Belgas ep. 48 istas recitationes memorat. Haec pro Hollandis, qui non quotidie recitationes aut Comoedias ludebant, aliqua erat elegantia. A. 1620 publice institutum est *Collegium Oratorium*, praefecto P. Cunaeo. Dignus profecto erat Cunaeus, qui tali muneri praeficeretur. Nam et actione valebat et eloquentia, et Latine sic scribebat, ut ad Ruhnkenium usque parem non habuerit. Ea facultas Leidae quoque turpiter fuit neglecta. Professores eloquentiae ita dicti, plerumque erant oratores ridiculi. Saepe divinandum est, quid velint. Atque collegium oratorium utile erat etiam propterea, quod saepe Comoediae et Tragoediae agebantur. Actae sunt *Troades Senecae*, aliae. Ortis hinc interdum turbis, vetitum est. A. 1599 adolescentes a Rectore et Senatu petiere, ut agere liceret *Plauti Amphitryonem.* Libellus supplex servatus est in *Actis Acad.* Cod. VI. pag. 235. *Nomine omnium et consensu publicò subscripserunt* alii et D. Heremita, Antverpiensis, elegantissimi ingenii adolescens, cuius opuscula a. 1701 edidit Graevius. Mirum argumentum, quo, praeter

alia, utuntur, e Sacris Libris: « Quod autem adulteri Dei in Comoedia hac nocere exemplo possint, fateremur id et universam actionem tolleremus, si una de sacris libris exemplum Davidis cum caede coniunctum tolleretur. » Theologi plerumque ludos istos detestabantur, sicuti v. c. Daventriae, ubi volebant agere *Herodem infanticidam*: v. *Syll. Burm.* III. p. 292. Consuetudo manavit ex scholis et monasteriis aevi medii, et quum tandem histriones mercede populum oblectarent, abiit in pompas, quibus factum aliquod historicum repraesentatur solo vestitu et incessu.

Quale autem fuerit consilium feminae Principis de Scaligero studiis filii praeponendo, patrem Dousam certiorem fecit Baudius Epist. I. 35. « Tabellarius hic (Caesaroduni Turonum) meo sumtu et impensis in Zelandiam mittitur, inde porro in Bataviam iturus est, ut literas ad D. Scaligerum perferat a Domina Principe, matre pueri illius, qui proximus summae spei. Ea vobis heroem illum ex summis viribus extorquere contendit, ut filio suo custodem apponat. Et certe permagni refert, pueritiam istius Principis, tali magistro adolescere. » Scripta est epistola 24 Augusti 1593. Sed ea res neque ad Coligniam neque ad Henricum Fredericum pertinet. Qui putaverunt, decepti sunt aliqua rerum similitudine. Baudius voluit Henricum II Principem Condeum, filium Henrici I Condei et Charlottae Catharinae Tremuliensis. Ipsa epistola edita est a Iacobo Revio in libro, qui rarus est: « *Epistres Françoises des Personnages Illustres et Doctes à Mons. Ioseph Iuste de la Scala.* Harderwyck 1624. Catharina Scaligero significat, regi quoque Henrico IV fore gratissimum si filiolum suum vellet docere. « Pour mon particulier, j'estimeray atteindre au comble de ma plus grande felicité, si je puisse acquerir ce thresor à mon fils; faisant peu d'estat de toutes les grandeurs du monde, si elles ne sont accompagnées de la vertu. » Annus epistolae huic non additus est. Novimus iam ex Baudio esse 1593. Scaliger Leidae mansit. Et ea Catharina pessime audiebat, accusata publice et damnata, quod maritum veneno sustulisset. Henricus IV mulierem servavit, sed erat etiam in custodia, quum hanc epistolam scribebat. Ea notata est in editione Reviana numero Lib. I. epist. 2: adde alteram de eodem argumento num. 20. et lib. III. ep. 3, quae scripta est eodem a. 1593, quo Scaliger Franciam reliquit. Invidebat Catharina tantum virum Hollandis, et iam tum cupiebat filio suo praeceptorem. Conferatur et lib. III. ep. 28.

P. 12. *Emti ab Hispano nebulones.* Conferatur *Confessie ofte Bekentenisse, ghedaen by Michiel de Renichon. Mitsgaders de ghevolgde sententie over hen ghegeven in s' Graven Haghe den III Juny* 1594. *Ghedruckt na de copye van dien. Tot Delft.* « dat hy meynde, dat sy te samen tot Leyden ghesonden souden worden (den ghevanghen hem vraghende waer dat was ende tot wat eynde,) seyde hen dat Leyden was eene stadt van Universiteyt in Hollant, dat den jongen Prince van Oragnien aldaer studeerde, ende dat sy aldaer souden ghesonden worden omme hen te verlacken ende het leven te benemen. » Mauritius et alii eodem scelere petebantur. De sociis Renichonii et auctoribus v. Grot. III *Hist.* pag. 192: dicit, nullum tempus eiusmodi flagitiis fuisse foedius, ut nemo veram ab illis pacem speraret, qui iura etiam armorum et concessa odiis egrederentur.

P. 12. *Patriaeque patrique.* Confirmata est haec mea interpretatio verbis F. Spanhemii in *Laudat. Funebri:* « Ita cunas sanguine paterno propemodum conspersas habuit, ut et in ultionem summi Parentis natus videretur, et ad Belgicae libertatis vindicias suprema Patris voce vocari. » Ea vox morientis una erat, ut scribit Grotius *Annal.* IV. p. 85: « Deus miserere populi. »

P. 12. *Aula Principum.* Samson *Hist. de Guil. III.* T. I. p. 352. « Les Magistrats de Leide lui (Guil. III.) presentérent même une maison, appellée communement *la cour du Prince*, pour y demeurer, comme avoient fait ses Prédecesseurs, lui declarant qu'ils l'avoient meublée pour cet effet. » Guilielmus I aliquoties in eadem domo moratus est, eoque mortuo Colignia iam a. 1584 — 1585, aegre ab Ordinihus de consilio in Franciam abeundi deducta. Ordines et tunc aulam instruxerunt. Colignia tamen, si relinqueret, supellectilem quoque relinqueret. Quamdiu Henricus Leidae fuerit, pro certo ponere non ausim. Anno quidem 1600 lectus est in *consilium status*, eumque Mauritius habuit in expeditione Flandrica Comitem. Iam a. 1593 interfuit obsidioni Gertrudisbergae. De anno 1600 Grotius *Epigr.* pag. 230:

Sic aetatis adhuc in limine puberis audet
Pro patria fratrem religione sequi.

De negligentia historicorum in hoc genere, satis erit afferre exemplum Commelini, qui Vitam Henrici edidit a. 1656. « Il fut eslevé aupres de Madame sa Mère pendant sa jeunesse, puis il fut envoyé en l'Université de Leide, avec un Gouverneur qui se nommoit Iean de la Douhes, seigneur de Nortwyk, qui prit un très grand soing en le faire instruire de dans les langues de dans les sciences et de dans tous les exercices conformes à sa noblesse et à sa grandeur. » Nec fere plura noverat Spanhemius in *Laud. Funebri;* « Pueritiam Heros noster sub Heroina matre, adolescentiae partem aliquam sub Iani Dousae inspectione in nostra Academia, maiorem sub Mauritio fratre in castris et actu rerum exegit. » Ut Academia mortuum Henricum laudavit, eidem, quum ad imperium venisset, gratulata est Septembri mense a. 1625. Respondebat, ut scripsit Vossius *Epist.* 51, « humanissime, etsi valde infirmus, usque adeo ut eo die neminem praeter nos admiserit. » Fortasse de vita Henrici Academica et omnino de pueritia accuratius exposuit I. H. Dauberus in *Oratione Funebri*, quam frustra quesivi. Erat Dauberus, quem Aitzema l. xxvi, deceptus, credo, pronuntiatione Germanica, vocat *Tauberum*, Professor Iuris in Illustri Schola Bredana.

P. 12. *Dolore domestico.* D. Heins. *Orat. de Mauritio:* « Eam ille necem (patris) non infirmo, ut privati solent, desiderio ac lacrymis excepit, sed, cum bono patriae, in animum demisit. » Et pag. 18: « Ex ore, superciliis, incessu, corporis totius motu habituque, Martem Gradivum aut ultorem descripsisses, qui post perpetratum Delfis Batavorum ab Hispano facinus, in animo et vultu ejus sedem posuisse videbatur. »

P. 13. *Puerum vix e cunis egressum.* Quod in Henrico erat reprehendendum, hujus culpa partim recidit in assentatores, ut fere semper et ubique. De Henrico afferam duo testimonia eorum, qui de rebus recte iudicabant. Alterum est Mariae Reigersbergiae in *Epistola* ad Fratrem, quam edidit A. Stolkerus in *Miscellan. Patriis* a. 1824 (*Vaderl. Letteroef.*). Ea fratri scribebat a. 1629: « Voor my, en weet niet, wie ik het wyten zal, myn Heer den Prins (Hendrik), ofte die dagelyks met hem omgaan, vermits zy hem niet resoluut en zeggen, waar het op aankomt. Elk wil wel met de Prinsen staan, en daarom worden er veel zaken bedorven. Dat en is de Prinsen niet beminnen, hen in alles te volgen. Men moet hun somtyds zeggen, waar het op staat: anders zoo gelooven zy, dat het zoo behoort, en dat men daar wel mede te vreden is. » Alterum testimonium est Alexandri van der Capellen in *Commentariis* (*Gedenkschriften*) Vol. I. pag. 569: « Op den 25 deses (Ian. 1630) heeft de Heere Ploos, Gecommitteerde van Utrecht, buyten last van syne Principalen, ende sonder communicatie van syne mede Gecommitteerde, ofte die van d'andere Provintien, ende met groote jalousie van andere Leden der vergaderinghe, geproponeert, dat men s' Princen Soontjen, out synde drie jaeren, defereeren soude den titel van Generaal van de Cavallerye, t' welk dadelick soo goetgevonden ende geeffectueert is; een charge, dewelke of ten dienste van t' Land beboorde te worden gemesnageert, ofte geconfereert aan iemant, daervan t' Land dienst konde trecken; ende is een sake, die aenwyst, dat het oogenmerck van de Gecommitteerde is alleene om den Prins te behagen. »

P. 13. *Andream Rivetum.* Natus a. 1572. Homo non mediocris animi, de cuius vita ex epistolis aequalium multa, vulgo ignota, referri possunt. Curatores, Ordines et Mauritius eum tandem moverunt, ut Leidam veniret. Ordine praepositus est Walaeo et Thysio. Orationem D. Heinsii de morte Mauritii, ut supra dixi, Francice conversam, dedicavit uxori Principis Frederici Henrici. Praeceptor Guilielmi II, honorarii Professoris titulum servavit. Addam locum ex Oratione Boxhornii *Funebri in Excessum Celsissimi Principis Guilielmi Principis Arausiae* caet. *habita ex auctoritate publica proximo post Exsequias die in Leidensi Batavorum Academia* a. 1651; quia operae pretium est cognoscere istorum hominum iudicia, dicendi rationem, et Orationes ipsae non cuivis adeo in promtu sunt. Ne Leidae quidem in Bibliotheca omnes reperiuntur. Boxhornius igitur: « In disciplinam traditus (cum multum intersit quis, et quomodo quis talium mores, convenientes magnitudini fortunae eorum fingat ac componat) Andreae Riveto, Theologo, seni plane eximio, et qui cum vitae morumque gravitate, quibus apud adolescentes Principes virtutibus opus est, decentem eorundem suavitatem quoque comitatemque coniunxerat. » Riveto de hoc munere gratulatus est in longa epistola I. Crucius III. ep. p. 207 sq. Inepta est ea epistola, ut pleraeque. Faciunt tamen hic illic ad naturam temporum intelligendam: pag. 212 dicit Guilielmo II contigisse egregios utriusque virtutis magistros; bellicae quidem, ipsum parentem, qui nihil putat in vitam eduxisse, nisi et ad virtutem militarem provexerit. Rivetus mense Maio a. 1632 Hagam abiit: v. *epist.* Cunaei pag. 253. Ipse Cunaeus de re ita scripsit: « Rogatu principis Auriaci Leidam

relicturus est, ut in aula cum Filio moretur, et spei atque educationi illius praesit. Ita non unum vulnus brevissimo tempore accepit haec Academia. » Ipse Rivetus ad Vossium (in Epistolis Vossianis) die 10 Aprilis 1632: « Paro me ad migrationem, qui in eum finem ab Illutriss. Principe accepi diploma, in quo significat, quid me facere aut procurare velit, et mihi in reliquam vitam adeo liberaliter prospicit, ut ingratissimus sim, nisi me totum addicam ei muneri, ad quod me vocat, et pro viribus in illud incumbam. Quoniam autem Magnus ille Puer adhuc per aetatem et staturam imbecillior est, quam ut hoc anno possit omnino a cura mulierum avelli; prospexit mihi de aedibus in ipso Aulae ambitu, quae olim fuerunt Graphiarii Iunii, non procul a loco, ubi convenit supremum consilium. — Statui cum bono Deo ad VIII Maii publice coram Curatoribus Academiae valedicere. » Rivetus Hagae iucundissime vivebat. Amans literarum, doctrina insignis, affinis Bocharti, ab eruditis viris magni aestimatus, omne, quod supererat tempus, legendo scribendoque tribuebat. Et supererat aliquantum. Guilielmus II interdum menses aberat. Erat Rivetus, ut dixi, amicus Ameliae, uxoris Henrici, quae illum propter eloquentiam quoque summopere admirabatur. Henricus nato filio statim destinavit praeceptorem. Discipulum a. 1641 comitatus est in Britanniam, ut antea matrem ad aquas Spadanas. In iudicandis autem hominibus, qualis fuit Rivetus, et tempora, quibus vixere, et adversarii, quos habuere, probe considerandi sunt. Valet hoc in omni quidem historia, sed nescio quomodo magis in historia illorum temporum. Caeterum in *Resolut. Curat. Mss.* Vol. IV. pag. 226 exstat decretum, ne Oratio Boxhornii, quam supra memoravi, impensis Academiae ederetur, nisi mutatis dictis quibusdam *notabilibus*.

P. 13. *Doctrina, quam profitebatur, commendabat.* Ipse Henricus religionem ex animo amabat. Spanhemius in *Laud. Funebri* Frid. Henr. hoc vocat *Dei servos reverenter habere.* Multitudo nimirum religionis interpretes a religione ipsa minus distinguebat. Henricus probe distinxit, idque aliquando Hackio ostendit. Sed Spanhemius dixit: « Quam reverenter Dei servos (Princeps Henricus) habuerit, omnes testari possumus. Omnium instar esse potest, quod suum et Patriae gaudium Guilielmum, in magni Imperii spem natum Principem, non nisi sub Theologi, ab Orthodoxia praeter decora alia commendatissimi, et, quod ad Academiae nostrae gloriam pertinet, ex ordine nostro evocati, disciplina adolescere voluit, ut voce ac exemplo ad omnem pietatem mature formaretur. » Rivetus in usum alumni sui scripsit: *Instruction du Prince Chrestien par Dialogues, entre un jeune Prince et son Directeur. Avec une meditation sur le voeu de David, au Pseaume CI.* par André Rivet. A Leyde, de l'impr. de Jan Maire 1642.

P. 13. *Scholae Bredanae.* Collegae Riveti erant I. van der Kerckhoven et Constantinus Hugenius.

P. 13. *Hildersichium.* Vita huius Germani, quem Guilelmus II et praeceptorem et scribam habuit, adeo ignota est, ut ne in Lexicis quidem, quae dicuntur, Biographicis, nomen invenerim. Hildersichius vel Heilersichius, natus initio saeculi decimi septimi in agro Lemgoviensi,

comitatus Lippensis, Bremae operam navavit Theologiae. L. Crocius, Theol. Professor, eum propter mores et diligentiam amabat. Abeuntem in Hollandiam, quod multi Germani faciebant quaestus causa, discipulum commendavit Gerardo Ioanni Vossio. Nomen Vossii erat valde nobilitatum; qui praeceptores scholasticos vel domesticos cupiebant, hi Vossium plerumque consulebant. Ita Hildersichius in domum Michaëlis Pauwii Hagam venit. Pater Pauwii, Burgimagister, fuit ex Synodo Dordrechtana, frater, legatus in Francia. Opera Michaëli Pauwio egregie probata, a. 1626, eodem quo natus est Guilielmus II, curae et institutioni fuit praefectus illius, quem Princeps Arausiae habebat unicum. Hildersichio in domum Pauwii successit I. F. Gronovius, qui tamen non diu ibi fuit. Taedebat eum fastidii, quo ab adolescentibus huiusmodi praeceptores habebantur. Hildersichius sacrarum literarum erat peritissimus, in Graecis Latinisque Gronovio cedebat: caeterum satis doctus, diligens, gratus erga Vossium, neque illius immemor, quum controversiis Arminianis esset implicatus. Amicitia inter eum et Gronovium mansit inviolata. Rivetus habuit intimum. In aula non erat illius domicilium, ut Riveti, sed eo quotidie ventitabat, et Principem puerum et adolescentem in itineribus comitabatur. Duxit etiam uxorem. Post mortem Guilielmi II a legatis Ordinum publice interrogatus de auctore libellorum, qui editi erant ad factum Principis in causa Amstelodamensi defendendum, amicis magnae fuit sollicitudini: multique timebant, quorsum ea questio esset evasura. Perlata fuit lex oblivionis rerum ante actarum, eaque lege Hildersichius etiam fuit exceptus. Quo facto, in Germaniam discessisse credibile est. Haec cognovi ex *Epistolis Vossianis* a. 1626, 1627, 1634, 1635, 1638, 1639, 1642: et *Gronovii* et *N. Heinsii*, in *Sylloge Burm.* a. 1638, 1639, 1651. De anno 1651 scripsit Heinsius: « De Heyldersichio et Zulichemio tristia narrantur, an vera nescio. » Illa tristia quae fuerint, exposui e Wagenario *Hist. Patria*, XII. p. 194. Fama addidisse videtur C. Hugenium. Nam ipse Hugenius in *Vita Propria* nihil de ista re memoriae prodidit. Et erat ille diligentissimus in omnibus rebus vitae suae enarrandis; quid, ubi fuisset accusatus et absolutus? Quanti autem Guilielmus II praeceptorem fecerit, testatus est Boxhornius in Oratione: « Gratissimus in praeceptorem doctoremque sapientiae Princeps discipulus, tandem et secretorum conscium ac interpretem esse voluit. »

P. 14. *Multas teneret linguas* caet. Boxhornius in *Oratione* dixit Principem « non quidem ad solidam eruditionem, cum alia multa mox alio adolescentem vocarent, sed ad pietatem, quae praecipua principum, qui post Deum inter homines primi sunt, virtus est, et liberalium artium ac disciplinarum, cum tenere in istis et sapientiae modum principibus rerum, ad campum et aciem ante pacis haec tempora desideratis, mos fuerit, utcunque profecisse; avocabant et eum a maioribus studiis Martis quasi area quaedam et campus. » Conf. auctor *Vitae Guilielmi* II, quae prodiit Hagae a. 1738: aliquid de hoc argumento pollicitus, nihil fere praestitit. De linguis et caetera Principis doctrina, legitur et in *Numismatice Looniana* (*Van Loon Penningkunde*).

P. 14. *Patre volente aluerat.* Thysius in *Orat. Gratulat ad Guil.* III a. 1658: « Qui ab ineunte

aetate teneris manibus arma tractare, hastas vibrare, tubos, explodere, ordines ducere, explicare legionem, agmina circumducere vel flectere, constitutae ex nobilium et civium liberis centuriae imperare, sub maximo praeceptore, Patre suo, didicerat. » Boxhorn. *Histor. Bredan.* p. 60: « Mox quoque Auriaci soboles, Guilielmus, iussu patris, castra invisit. Quippe Ordines Foederati, nihil laesa libertate, admodum puero imperium detulerant, ne reipublicae aut patri successor in incerto foret. Itaque imperatoriis artibus, in quibus maiorum gloria et exempla, iam tum imbui coepit, immaturus quidem annis, sed animo et ardore pueritiam praegressus. Queis addita eorum cura, qui aulae gnari, auctoritate peritia rerum et aetate accepta, quidquid praescriptum, a puero obtinerent; qui, quamquam aliis intentus, quodam naturae ductu, in studia belli fertur. » Quae deinde Boxhornius addidit de exercitatione equestri, de plumbeis militum imagunculis, de cohorte illa puerorum praetoria, nihil eum audivisse libentius quam facta Coclitum, Deciorum, Guilielmi I, Mauritii, eumque caede Guilielmi ad vindictam incitatum, haec ita finivit: « In his pater iussit ingenium exerceri. »

Cum isto rei militaris studio coniunctus est liber Salmasii *De Re militari.* Salmasius identidem colloquebatur cum Principibus patre ac filio. Sermo saepe in res civiles et militares incidebat. Ille Romanam militiam inprimis laudabat, eamque adhuc non plane intellectam dicebat, Lipsium etiam varia reipublicae ac Caesarum tempora confudisse. Huiusmodi sermones, habiti a. 1635, Henrico placuisse videntur, et, sicuti Mauritius habuerat praeceptorem Lipsium, ita Salmasium adhibere voluit Guilielmo II. Quare misit, qui Professorem *Syntagma in usum Principis* de hoc argumento rogarent, idque lingua Francica compositum. Res sine dubio Salmasio gratissima, ut eo quoque nomine non minor Lipsio haberetur: quamquam alicubi scripserit, Principem id obtinuisse, quia iubere poterat. Maluisset Latine scribere, quippe facilius. Fecit tamen Francice, et militiam praesentem cum Romana comparavit. Ex libro Francico deinde novum opus Latinum inchoavit, in quo multos annos occupatus, undique Mss. auctores ex Bibliothecis conquisivit. Quo minus absolveret, mors impedivit. Mortuus est a. 1633. Pars aliqua libri Latini, aliquamdiu per manus amicorum vagata, Leidae a. 1657 prodiit: *Cl. Salmasii de Re militari Romana Liber. Opus posthumum.* Hornius edidit, acceptum a viro quodam celeberrimo. Vir doctus in exemplo, quod est in Bibliotheca Academica, ad finem paginae 242 annotavit: « *hactenus scripsisse Salmasium; morte scilicet occupatum, reliqua absolvere non potuisse: quae addita sunt, esse Hornii vel alterius.* » Salmasius ergo desiit in verba *Primo igitur ut ex Polybio et Livio monstra* — addita autem sunt pauca, sex fere versus, ut nempe liber videretur absolutus. Graevius, qui in Thes. Antiq. Roman. T. X. p. 1284 sq. Militiam Salmasianam repetiit, in Praefatione tantum dicit *opus morte viri maximi esse interruptum.* Grotius et alii hoc opus avide exspectabant, ut apparet ex Epistolis huius temporis. Qu vero Krebsius in *Enchiridio scientiae bibliographicae* T. II. p. 238 indicare potuerit primam editionem a. 1642, alteram 1657, nescio: Rivetus quidem in *Epist. Vossianis* scripsit a. 1642, Salmasium accepisse exemplum *expeditionis in Alanos per Arrianum*, in quo dicit se mira habere de Militia Romana, et quae ad eam pertinent: exspectare praeterea *Urbicium*, ut opus *Principi nostro promissum his adiumentis instructus*

possit absolvere. Conferantur praeterea ipsae Salmasii epistolae a. 1635. Quod ad Syntagma illud Francice scriptum attinet, in *Resolut Curat. Mss.* annotatum est mense Augusto a. 1692, librum manu ipsius Salmasii compositum, *De Militia Romana in usum Principis Frederici Henrici*, Curatoribus fuisse donatum ab amicis Salmasii, Curatores iussisse in Bibliothecam Academicam reponi. Exstat in Bibliotheca liber, bene ac manu ipsius Salmasii scriptus, forma, ut dicitur, quarta, paginis 533. Titulus: « *Abbregè de la Milice des Romains.* » Opus divisit in duas partes *Disciplinam* et *Scientiam* militarem, deque iis, quantum ex nonnullis, quae legi, iudicare possum, perspicue et docte exposuit, adeo ut credam aliquem operae esse facturum pretium, qui praecipua excerpat, et cum aliorum scriptis de simili argumento comparet. Hic etiam Salmasii liber non est absolutus. Substitit in his verbis: « Il y a rien de si dissemblable ni si disproportionné que les Elephants et nostre canon. Neanmoins les plus habilles au mestier, duquel nous traittons, ont bien osé dire, que nostre canon tenoit le lieu des Elephants de temps passé. Et il est vrai qu'ils s'en servoient, comme nous faisons aujourdhui du canon en nos armées. C'est donc en l'usage, qu'est la proportion et le rapport. »

P. 14. *Sentiendi dicendique libertate.* Iam Fabricius in *Orat.* a. 1725 *opinionem Guilielmi I de utilitate Academiae ad Principes patriae parandos* laudavit. Fecerunt et alii, et Weisius a. 1753 habuit Orationem *pro institutione Nobilium Academica.* Iam dixi: nolo eruditum Principem, qualem privatum censemus, neque volebant nostri professores, quantum ex orationibus intelligo. Et scimus, quanti Britannis doctrina Iacobi I, et Suecis Christinae constiterit. Sed Principes Arausiaci, qui vitae, non scholae, discebant, quam multa Leidae discere potuerunt! Ipse urbis adspectus, monumenta et sepulcra, ipsum, quod intuebantur, coelum, quot quantarum rerum memoriam revocabant! Iam Professores, aetate et meritis venerandi, suarum sibi laudum conscii, rerum praeclarissimarum cognitione non modo, sed etiam ingenio et iudicio excellentes, liberi homines et in suo quisque munere quasi quidam reges, quae illi semina in animos discipulorum illustrium spargere nitebantur! Ea semina nusquam laetius crescebant quam in ipsa Academia. Nam si Principes vitam et mores commilitonum inspicerent, animadvertebant, nullos verae laudis esse integriores et severiores iudices, quam ipsos adolescentes. Sic semper fuit Leidae, sic hodie est. Nemo generi aut divitiis, omnes probitati et eruditioni assurgunt. Diligens, honesta, docta paupertas, inerti, sordidae et imperitae nobilitati non tacitis indiciis praefertur. Superbia minime omnium toleratur. Si uspiam, hic valet illud: « ut salutabis, ita resalutaberis. » Equidem propter has aliasque causas Guilielmo II utilissimum fuisse futurum arbitror, si annos tres quatuor in Academia vivere potuisset. Vere tamen de eo iudicasse videtur P. Wesselingius in *Orat.* a. 1748. « Wilhelmi II. eminentissimum supra aetatem ingenium, iuvenili quidem caliditate gestiens, sed patris avi patruique dotes, si aevum contigisset extentius, aequiparaturum. »

P. 14. *Tutorum multitudine.* Samsonus in *Vita Guilielmi III* Hagae a. 1703, ab hominibus magni

iudicii admonitus, non fecit, quod plerique solebant, ut scilicet, omissa Guilielmi pueritia, statim ad annum 1672 transiret. Quae ille narravit, confirmari et suppleri possunt ex Orationibus. Hinc universe nonnulla testimonia ipsis Professorum verbis apponam, ut ea pro se quisque iudicet et interpretetur: quam rationem si historici magis adhibuissent, multa profecto melius cognosceremus, quam nunc cognovimus. *Laudatio Funebris Guilielmi III, Angliae caet. ex decreto Illustrium Acad. Curatorum et Urbis Lugd. Consul. dicta a Iacobo Triglandio* I. F. J. N. a. d. VIII. Id. Mai. 1702: « Tutores non sine controversia dati, mater, avia et Elector. Hi primam educationem committunt Kerkhoviae, viduae Houwartii, nepti Ioannis Polyandri, antecessoris Leidensis. » *Graevius in Orat. anni* 1702: « Apponebat mature Guilielmo sexenni insignem Theologum Cornelium Triglandium; adhibiti etiam alii magistri, qui literarum elementa Principi traderent. Vitae vero et moribus fingendis primus praeficiebatur Polyander, cui successit Dominus van Vlied. » *Petrus de Toullieu, antecessor Lingensis in Laudatione Funebri Guilielmi III ex publico decreto dicta* a. d. 16 Maii 1702, edita Amstelodami, de pueritia Guilielmi nihil dicit. « Quid enim » inquit « narrandae Herois nostri pueritiae vel primae adolescentiae immorabor, quae partim in sinu matris, partim in illustri illo Musarum sacrario peracta, tota pietati ediscendae exercendaeque, ac nobilioribus, quae principem decent, artibus militaribus politicisque in succum et sanguinem vertendis, insumta ac naviter consecrata?

P. 15. *Arma et equi iam puero cara.* I. G. Graevius *Orat. in Obitum Guil. III* caet. habita auctoritate Ord. Traiect. 5 Maii 1702: « Cum quintum ageret annum, armorum ad sui corpusculi habitum aptorum meditatione, Ducatus ludebat et Imperia. Marmoreos, quos ex Germania plurimos acceperat, exercebat equos, sigillis plumbeis milites referentibus acies instruebat. » — Equitationis studio et peritia valde laudata, sic pergit Graevius: « Ex Mauritania legati Principis Salensis cum Republica foedus redintegraturi venerant Hagam, et Ordinibus communibus offerebant munus duos eximios equos, quos illorum patria tulerat. Hos Ordines dono mittebant Principi. Cum ei traderentur cum multo verborum honore, gratiis actis iussit Ordinibus renuntiari, nullo monente, se sperare, se brevi his equis usurum in navanda Reipublicae opera. »

P. 15. *Domum obtulerunt.* Graev. *Orat.* a 1702: « Decreverant Tutores Principem a contubernio muliebri removere, quod enervat ac effoeminat masculos animos et corpora. Consules et Magistratus Leidenses cum id intellexissent, ad eum allegabant, qui ei offerrent Academiam in sua urbe Guilielmi I consiliis excitatam, nec non domum, quae vocabatur Aula Principis, quod non ingratum fuit Mariae ac aliis Tutoribus. »

P. 15. *Bornii virtutes.* A. Thysius in *Orat. a.* 1659: « Quam gloriosum Academiae nostrae, nunc iterum eadem dignitate ex hoc collegio electum, qui studia huius Principis regeret, virum dico praestantissimum, Henricum hunc Bornium, quem hic praesentem videtis,

cuius virtus, eruditio, prudentia, morum integritas, probata fides, (ita enim Acta ipsa loquuntur), iam longo tempore celsissimae familiae innotuerant. Deum immortalem rogamus, ut tibi Reipublicae huius augustae, inclytae huius civitatis et Academiae amorem ingentem imprimat. » Graevius *Orat. a.* 1702: « Nonum Princeps agebat annum, cum cura formandorum eius morum mandaretur viro generosissimo Zylesteinio, studiorum vero moderandorum Henrico Bornio, Moralis doctrinae Doctori publico Lugdunensi. » Bornius ex Illustri Schola Bredana Leidam vocatus est a. 1651. Vlitius *Syll. Burm.* T. III. p. 746: « Spes omnis Scholae Illustris cum Bornio moritur. » A. 1659 suo se munere honorifice abdicavit. Titulum Professoris honorarium Curatores ei reliquisse, sicuti in aliis Professoribus acciderat, non legi. Literarum minus peritus erat, quam nonnulli volebant. Heinsius a. 1662 scribebat Vlitio: « Bornius noster ne discipulum suum magno pretio nihil scire doceat, vehementer metuo. Provinciam eius de edendo Lucretio invasit Tan. Faber. » Vlitius Heinsio: « Bornius me permoverat fere, ut in Principis gratiam Phaedri novam brevissimis cum notis editionem darem. » Ex actis Senatus Academici apparet, Bornium non fuisse facilem, sed asperum hominem. Thysius ei a. 1660 dedicavit *Valerium Maximum*, et a liberali philosophia vitaeque prudentia morumque elegantia valde laudat. De Guilielmo dicit: « Principis admiranda indoles et capax ingenium felicissimae tuae institutioni omnia magna pollicentur. »

P. 15. *Antonius Thysius.* Antonii Thysii *Oratio Gratulatoria ad Celsissimum Arausionum Principem Guilielmum III. Cum illo die Rectoris munere fungens, Principem in Academiam introduceret.* Lugd. Bat. a. 1659. Haec Oratio aliquot diebus post adventum Principis in urbem habita est. « Sacrum quidem hactenus in hoc loco silentium venerationem Principis omnium animis intendit: nunc tamen, quia facere nefas videbatur, publicam dicendi imposui mihi ipsi necessitatem. » Adventus Guilielmi in urbem magnae laetitiae significatione a civium quoque armatorum cohorte celebratus est. Thysius pro ista Oratione a Curatoribus munere ornatus est: *Resolut. Curat. Mss.* V. p. 217. Decretum de salutando Principe ibidem exstat. Acta in Senatu haec sunt: Die 26 Octobr. 1659. « Visum Senatui, non esse inquirendum an Princeps Arausionensis Academiae civis futurus sit nec ne, sed excipiendum quanta cum dignitate fieri possit. Proposuit D. Thysius an ingratum Senatui foret, si orationem habeat qua Principi adventum gratuletur. Visum est hanc rem referendam ad pleniorem Senatum. » Die 4 Nov. 1659. « Visum Senatui Principem Arausionensem, hoc die adventurum, eiusque serenissimam matrem et aviam nomine Senatus salutandos esse per Rectorem et Assessores, monentibus veteranis, ab iisdem receptas fuisse Galliae et Angliae Reginas. » Die 10 Nov. 1659. « Retulit Rector M. se cum Assessoribus salutasse serenissimos Principes Arausionenses, filium, matrem et aviam. Respondisse omnium nomine aviam, gratum admodum esse affectum et amorem, quem Academia testabatur erga filium et familiam, et rogasse ut in eo perseverare vellent. Extra cubiculum eos Principem secutum, ut gratias ageret. Addidit Rector, se non dubitare quin omnes et singuli intellexerint D. Thysium crastino die habiturum orationem gratulatoriam ad Principem Arausionensem, an non decorum Professoribus videatur, ut togati ad eam accedant. Nemo contradixit. »

P. 15. *Arausione spoliavit.* Anno tamen 1664 d. 19 Decembris reddidit. Graevius rem diligenter in *Oratione* exposuit, neque omisit signum coeleste, Arausione visum, quum Hugenius a. 1665, legatus Guilielmi, novum iusiurandum a Magistratu et Populo accipiebat. Lusus iste Naturae tunc per Europam fuit celebratus, inprimis, quum Guilielmus a. 1689 rex Britanniae fiebat. Loca historicorum et poëtarum ostendi in annot. ad *Hugenii Vitam propriam*, pag. 165. Nunc addo Hubnerum in *Geographia*, qui idem retulit ex Chevaillierio *Hist. de Guil III. par Médailles* p. 11. Hubnerum propterea irrisit Voltairius Oper. T. XXV. p. 81. Laudo Graevium: « Nam, quamvis sapientiam professi non ignorent, ex exhalationibus siccorum et sulphureorum corpusculorum, quae exspirat tellus, et qua eoguntur in superiora vi solis, igneos globos, faces, trabes, coronas, aliosque huius generis ignes, qui nonnunquam in coelo conspiciuntur, nasci; hanc tamen coronam visam esse tam diu ipso meridie, eo ipso momento, quo Lex Oblivionis ferebatur, et dabatur iusiurandum in nomen Principis, observatione et admiratione dignissimum videbatur, idque litteris consignatum publice servatur tam in tabulario istius urbis, quam supremi Tribunalis. »

P. 15. *Modestia et diligentia eluxit.* Praeclara fuit Guilielmi vita Academica. Trigland. *Orat.* a. 1702: Supremo gubernatore Sulesteinio humaniores disciplinas accepit ab H. Bornio, huius Academiae Professore, quam ipsam quoque civis incoluit Guilielmus. Religionem eum docuit Corn. Triglandius, meus patruus, eius educationi sacrisque praefectus. Hic Iacobo Triglandio multa de egregia et pia vita Guilielmi narrabat. Haec videntes Hollandiae Ordines eum adoptarunt Reipublicae Hollandae filium. » Oratio, quam Iacobus Gronovius eodem anno habuit, inscripta est: *Pietas ultima Academiae Lugd. Batavae circa Sereniss. Wilhelmum III caet. quam ex auctoritate publica exsequutus fuit* a. d. Id. Mai. 1702. « Vidit illum haec urbs et nostra pueritia, quum inter ipsum et privatum interesset nihil, nisi quod a pluribus amaretur, et officia reverentiae publica succingerent, unde omni imperio istud otium fuit honoratius. Aetas omnis et sexus ex adspectu solo fruebatur laetitia; comes ei semper erat miseratio an gratulatio unici ex adflicta domo superstitis. » Abrah. Heydani S. Theol. in Acad. Lugd. Bat. Prof. Senioris *Oratio gratulatoria, auctoritate et nomine Senatus Academici in Nobilissimo et confertissimo omnis Ordinis virorum conventu dicta, coram Serenissimo Arausionensium et Nassaviorum Principe et caet. Guilielmo III, Hollandiae et Zelandiae et Ultraiecti Gubernatore Haereditario, supremo terra marique Imperatore* caet. Prid. Kal. Mai. a. Christiano 1674. « Quemadmodum neque novum neque insolens tibi augustum vultum tuum, cum studiorum causa in hac urbe degeres, aliquoties in solemnibus eius pompis nobis spectandum ex hoc loco praebuisse. In eo quoque imitatus magnos Principes, qui non dedecere maiestatem suam arbitrati sunt, Professorum aedes circumire, inire, et circa scholas et auditoria Professorum assiduos esse, et inopinatos recitantibus intervenire. » Quinquaginta annis post idem repetiit Fabricius in *Orat. Saeculari* a. 1725: « Quod dicam, non pariter notum. Hic tantus iam tunc Princeps, cum studiorum causa hic degeret, sibi honori duxit, in templo maiori solemnibus Academiae non modo interesse pompis, verum etiam ad imitationem magnorum, ex alio aevo, Principum, maiestati suae minime indecorum

reputantium, Professorum aedes adire, patrum instar eos consulere, venerari, scholas quoque ipsorum et auditoria sedulo frequentare, monitaque salubria ex ore docto venari. »

P. 15. *Fabricius.* In *Orat.* pag. 24: « Cogitate Guilielmum III, tunc quidem Arausiae Principem, postea trium regnorum Regem et Gubernatorem nostrae Reipublicae, pronepotem magni Guilielmi, cui se debet Academia, redditura saeculo ferme post huic Pronepoti prudentiae virtutisque monita saluberrima, per quae ad summos istos celsitatum gradus evolavit, dignitatem statumque suum in isthoc fastigio egregie adeo tuitus est, ut amor factus sit sui populi, hostium terror, et huius Reipublicae stator etiam iuvenis. » Atque ea Fabricii Oratio ad historiam Academiae quoque est utilissima, digna quae in sermonem vernaculum verteretur, ut vertit D. Smout a. 1725.

P. 15. *Germanis.* Iöcherus *Gel. Lexicon* T. IV. Col. 1964: « Guilielmus omni cura ita eductus, ut nihil disceret (*dass er nichts lernen sollte*). Ideo, praeter artem muniendarum urbium et similes res, nullam omnino doctrinam intelligebat, hominibus eruditis non favebat, neque trecentis poëtis, ei de regno Britanniae gratulantibus, quidquam dedit. Et tamen Oxonienses eum I. U. D. fecerunt. » Haec dicit Iocherus. Quem, si Guilielmo fuisset aequalis, unum ex trecentis poëtis fuisse suspicarer. Guilielmus magis amabat eloquentiam, quam poësin. Et hoc melius. Ea saepe conspiciebatur. Laudavit Th. Ryckius in *Oratione.*

P. 15. *N. Heinsius dicebat.* Epistolas edidit Burm. in *Sylloge.* Heinsii dictum iam retuli. Vlitius a. 1662: « Princeps noster, consummatis scilicet Leidae studiis, Academiae valedicit, Hagamque rediit. Brevi etiam cum avia huc (Bredam) venturus creditur, ut renascenti nostro Athenaeo intersit. » Gronov. *Syll. Burm.* T. III. pag. 471: « Bornium raro video. Iam enim discipulum eius taedet huius secessus, et cum ipsum tum cohortem omnem percepit Lotos Comitatensis. » Gronovius significat eos cupere Hagam Comitum, ubi magis genio indulgere poterant. Pro *Haga Comitis* vel *Comitum* viri docti saepe scribebant *Hagam Comitatensem.*

P. 16. *Fieri debebat Guilielmus.* De Guilielmo III tam multi scripsere, ut vel solis librorum titulis librum possis implere. Ultimum honoris et amicitiae causa nomino D'Escurium, qui vindicem libertatis Europaeae a. 1838 in Instituto Regio Neerl. pulchre laudavit. Operae faceret pretium, qui scripta de Guilielmo conquireret, deque auctoribus eorumque iudiciis exponeret, et, quid verum videretur, ostenderet.

P. 16. *Nec praesentia desiderata.* Fabricius *Orat.* 1725: « Adest Guilielmus III, non ita pridem Academiae civis. Occupat locum illum primarium, qui cathedrae proximus est. « Locus ille cathedrae proximus est ad sinistram oratoris, ubi Principes semper solebant sedere. Guilielmus etiam coenae, anno illo 1675 celebratae, interfuit. Si ipse Leidam venire non posset, vicarium mittebat, Comitem Solmensem, Hugenium, vel alios.

P. 16. *Syenus.* Fabricius in *Orat.* 1725: « Rector Syenus habet orationem. Desiit in carmen ad laudes Principis. Quod carmen utinam ad nos pervenisset. » Prodiit a. 1725 liber: *Leidens Feesthoudende Gemeente over den derden vyftigjaerigen Jubeldag*, 8 *February* 1725, *door Adriaen van Boschheiden.* « Van Syens Oratie men niet veel weet, wyl nergens gedruckt gevonden wordt: dit nogtans blyckt er in sommige aanteekeningen van, dat na eene korte redenvoering die Hoogleeraer eindigde met een vers meest of alleen tot lof van den Prince. » Pater Syeni, Georgius, triginta annos consumsit in explicanda genealogia principum familiarum in Neerlandiis. Conf. Theodori Cranen *Orat. Funebris in Arnold. Syenum.* Reliquit Mss. triginta volumina in fol. De quibus quid factum sit, multum quesivit diligentissimus ille G. van Ryckhuizen.

P. 16. *Neque Academia Guilielmum neglexit.* Nemo omnium Principum adeo fuit celebratus. Causas facile intelligimus. Iano Wittio rempublicam gerente, Academia fere de Guilielmo tacuit, neque adeo res memoratu dignas gerere potuit. Contra a. 1667 Curatores iusserunt Cl. van Thienen Curatori Corn. Wittio de victoria a Britannis reportata gratulari. Wittius orationi interfuit, quod inimici postea tamquam superbiae documentum reprehenderunt. *Acta Senatus* haec sunt: XXVIII Septembris. « Censuit Senatus per DD. Rectorem et Assessores gratulandum esse D. Wittio Curatori, ubi in hanc urbem venerit, de victoria, quam nuper classis, in qua potentissimorum DD. Ordinum Generalium cum plena potestate Legati munere functus est, de Anglis retulit. » XXXI Octobris: « Indicavit D. Rector Dominum de Wimmenum sibi significasse, DD. Curatores provinciam imposuisse D. van Thienen, ut D. Curatori Wittio publico alloquio gratularetur de victoria nuper parta, cuius in actis praecedentibus fit mentio. Deliberatione habita, iudicavit Senatus nihilominus decretum illius diei a DD. Rectore et Assessoribus esse exsequendum, ut eidem D. Curatori constare possit, Rectorem et Senatum officio suo non defuisse. » IV Novembris: « Lectum est Programma, quod Senatus approbavit, quo omnium Ordinum viri et studiosi invitantur, ut praedictum actum die octavo huius mensis sua frequentia cohonestent. Moniti sunt DD. Professores, ut ad eundem togati accedant. » Quid Guilielmo III factum sit, testantur Orationes: *Congratulatoria* Heydani a. 1674. Baronis Wassenaerii *de die natali* 14 *Nov.* 1687. I. Gronovii *in honorem regis Britanniarum* 1689. Curatores Gronovio dederunt numisma centum florenorum. I. Gronovii *de Epeditione Hibernica* 1690. I. Gronovii *de adventu regis Britanniarum* 1691. Pro hac et superiore oratione a Curatoribus accepit argentum caelatum trecentorum flor. Spanhemii et Perizonii *de morte Reginae Britanniae* 1695. Singuli a Curatoribus acceperunt ducentos quinquaginta flor. I. Gronovii *de capta Namurco* 1695. Pro ea oratione accepit centum quinquaginta florenos. M. Bidlo, Rect. Magnif. die 25 Iunii a. 1696, *de invictissimo Britanniarum rege Guilielmo III incolumi, seu miraculose erepto nuperae perditissimorum hominum conspirationi.* I. Perizonii *de pace Europaea a.* 1697, et aliae, ut *de aethere Britannis et Batavis militante*, et *cum Wilhelmus et Maria coronarentur.* Triglandii *de morte Guilielmi III* 1702, habita d. 8 Maii. I. Gronovii *de morte Guilielmi III* 1702, habita 9 Maii. Singuli acceperunt a Curatoribus ducentos quinquaginta florenos.

P. 16. *Ioan Guil. Frisonem impulit.* Fieri potest, ut exemplum Ludovici XIV apud Principes Europaeos aliquid valuerit. Coettierius in hac causa illud exemplum laudavit, *Orat. in Adventu Ser. Princ. Ioan. Guil. Frisonis caet. cum studiorum causa Leovardia Franequeram migrasset, dicta a G. Coettier, Icto, Hist. et Eloq. Professore, iussu Ampliss. Senatus Acad. in Templo Academico, Prid. Non. Mart. Iul. a.* 1700: « Respicit hoc ipso tempore magna pars Europae nostrae disciplinam domus Borbonicae, et laudabile institutum Regis Ludovici XIV, quo filium unicum, Delphinum, optimorum scriptorum lectione, conquisitis undique idoneis praeceptoribus, erudiri voluit. Nunc cum viriles anni serenissimum illum regni Galliae heredem maioribus regni negotiis admoverint, eandem bonae mentis medicinam in tribus nepotibus experitur: quibus nullus dies abit, quo non per horam unam aut alteram Musarum sacris operentur. Te vero, Princeps, hortatur et volentem impellit Augustissimus Rex Guilielmus, ut eadem sacra suscipere velis. Et cum Deus Regiae Maiestati nullam hactenus prolem concesserit, quod in propria sobole cupiisset, te, Friso Princeps, tam arcto sanguinis et amoris vinculo coniunctum, literis imbutum Principem videre expetit. »

P. 16. *Magna et mirabilis.* Haec et alia huiusmodi scripseram prius, quam vidi quae H. Venema dixit in *Oratione* a. 1751 post mortem Guilielmi IV Franequerae ad Ecclesiam habita. Partem excerptam edidit Verschuirius in *Elogio Venemae.* Quam verus ille fuerit vates, quae secuta sunt, docuerunt. Utinam plura talium virorum haberemus monumenta historica! Vel brevem particulam centenis, si fieri posset, Memoriis redimerem, quas Francorum quorundam levitas et impudentia quotidie fingunt.

P. 17. *Hemsterhusium. Oratio ad Cels. et Seren. Principem Arausiae et Nassaviae, Gubernatorum Belgii Foederati — Decreto et nomine Senatus Academiae Batavae, quae Leidae est, habita a Tib. Hemsterhusio Rectore a. d.* 29 *Iunii* 1747. Brevi ante Rector et Seniores Principem Hagae salutaverant. Respondit non sine gravitate humanissima: « iucundissimam ipsi accidere gratulationem Academiae, quam a teneris maximi fecisset: honores, quos esset adeptus, habere pro Dei munere, qui Ordinibus hanc mentem dedisset: munus esse difficillimum, seque iam in ea esse aetate, ut eam difficultatem aestimare posset, fretum tamen eiusdem Dei auxilio, nihil non esse facturum, ut utilitati publicae inserviret, libertatemque ac religionem contra perfidum hostem vindicaret: habiturum hoc suum munus etiam non unam iucunditatem, quod scilicet multis gratum facere posset, Academiae quoque Leidensi, cuius iura et privilegia non modo esset tuiturus, sed etiam, si res ferret, aucturus. Ergo se orationem auditurum, eoque libentius, quia ab eo Rectore haberetur, quem olim carissimum praeceptorem dilexisset et diligeret. « Eiusdem anni d. 27 Iulii eidem Principi gratulatus est Ultraiecti Drakenborchius. Quod Hemsterhusius Franequerae et Drakenborchius Ultraiecti Guilielmo IV historiam Neerlandicam explicavit, hoc, Franequerae certe, in solo Principe factum est. Hic enim Franequeram venit a. 1726, et Hemsterhusius ibi demum

a 1738 nactus est titulum *Professoris Historiae Patriae*. Leidae quidem iam a. 1701 Iacobus Perizonius constitutus est *Prof. Hist. Foed. Belg*. Interea Bellofortius in *Praefat. Vitae Guilielmi* I querebatur, hanc disciplinam in Academiis vulgo negligi.

Orationem Hemsterhusii iure a me esse laudatam, fatebuntur omnes, qui cum similibus orationibus comparaverint. Materie et forma cunctas fere superat. Pater et patruus Hemsterhusii semper amici fuerant gentis Arausiacae, eosque varii Principes beneficiis affecerant. Et tamen nihil adulatur, multum diversus a Burmanno, cuius servilis Oratio, habita Franequerae a. 1736 *pro Criticis*, ad Professorium munus auspicandum, praesenti Guilielmo IV ruborem et indignationem iniicere debuit, si animum attenderit. Tantis Principem laudibus in coelum tollebat, eum, quem postea, quantum posset, infamabat. Hemsterhusius, ut philosophum decebat, sibi constitit. Guilielmus a. 1747 mense Maio Hagam Comitum venit. Rector Hemsterhusius et Seniores eum, ut dixi, salutarunt, et honorem orationis habendae obtulerunt, diem ipse diceret. Quae supra ex Actis retuli, ea et alia diligenter quoque exposuit Cl. De Crane in libro *de gente Hemsterhusia* pag. 85: quem librum nunc iterum legens, incidi in locum *de insigni gentis Hemsterhusiae*, in quo explicando Cl. de Crane neque sibi ipse, neque ipsi sui amici satisfacere potuerunt. Habet illud insigne quatuor partes, quarum una est aquila dimidiata, altera flumen, tertia tres aureae stellae, quarta domus. Apparet hoc insigne esse compositum ad significationem nominis *Hemsterhuis* vel *Heemsterhuis*, ut fere semper pronuntiabatur: et quum Franciscus Hemsterhusius a. 1662 Patavii creabatur Philosophiae et Medicinae Doctor, poëta quidam in eo nomine sic lusit, ut *Flumina Sydera* et *Domus* maioribus literis conspicerentur. Ac de *sideribus* et *domo* non est dubium. De *flumine* est obscurum, ut arbitratur Cl. de Crane. Mihi haud ita obscurum, esse videtur. *Ee*, *eem* universe significat *aquam*, *fluvium*. Vocabulum commune, in variis regionibus factum est proprium: v. c. fluvius *Eem* apud Amisfurtum. Illud *Eem* alii pronuntiabant cum adspiratione, dicentes *Heem*, quod factum est in plurimis aliis vocabulis. Ipse fluvius *Eem*, in diplomate Caroli M. appellatur *Hemus*, et *Heemskerk* a Stokio dicitur *Eemskerk*. Altingius in *Notitia Germaniae Inferioris* et alii multa huius in pronuntiando et scribendo varietatis exempla praebent. Continet igitur prima syllaba in nomine *Heemsterhuis* ipsum illud *flumen*, quod ad explicandam insignis rationem requiritur.

Atque hoc loco memorandum est egregium Guilielmi IV dictum Drakenborchio. Offerhausius enim hic perverse a nonnullis nominatur. Narrant scilicet Drakenborchium non sine magno timore ad docendum Principem accessisse, eumque timorem vultu prae se tulisse. Interrogatus causam, respondit, fieri posse, ut interdum ea tradere cogeretur, quae in Principibus Arausiacis minus laudanda viderentur, eaque tradere vereri, praesente eo, qui ex illa stirpe originem ducebat. Tum vero dixisse praeclarae indoles iuvenem: « Noli vereri. Quod recte fecerint mei maioris, hoc imitari, quod secus, vitare studebo. » Quid Drakenborchius fecerit, ignoro. Auctor *Dialog. Mortuorum* a. 1780 — 1787. (*Zaamenspraken gehouden in het Rijk der Dooden* sq.) putat Professorem suo officio defuisse. Sed auctor esse fertur Mathias Temminck, et istis annis ardor hominum saepe veritati oberat. Dictum Guilielmi IV a multis laudatum est, etiam a

Tewatero *in Orat.* a. 1780. Verum est, quod narrabo, sicuti accepi olim a viro fidei multae, qui audiverat a fratre avi sui, teste aurito. Guilielmus IV, Gubernator tantum Frisiae et agri Groningani, solebat saepe venire in concilium Ordinum Groninganorum, et, coetu dimisso, cum binis, qui tunc erant, scribis multa de rebus Neerlandis praeteriti temporis familiariter disserere. « Ac velim, dicebat aliquando, ut ex annalibus nostris necem Wittiorum tollere possemus! » Tunc unus scribarum, libere et ut mos loquendi est Groninganus: « Utinam Princeps, et illorum et Oldenbarneveldii! » Nihil ad haec quidem Guilielmus, vultu tamen significare videbatur, dicti libertatem ipsi minus placere. Idem iam narravi in annot. ad *Vitam Hugenii* p. 172: in eo nunc diligentior, quod dixi auctorem meum audivisse *a fratre avi*, non *ab ipso avo*, quod me rogavit ut emendarem, si quando daretur occasio. Auctor meus fuit Arius Adriani, olim Sacrarum Literarum apud Doccumanos in Frisia interpres, doctus Theologus, et literarum antiquarum omnisque historiae tam amans quam peritus. Aliud eiusdem Principis fando audivit Cl. Heringa *Orat. de Auditorio* sq. a. 1825. Salutans nempe occurrentes, demto de capite pileo, quaerentibus an non molestius esset, respondit *se novo pileo centenos sibi parare amicos.* Mihi relatum est, dixisse *molestia illa se tot amicos emere.* Amabat Guilielmus huiusmodi dicta. Quum excellens ille Theologus, Hermannus Venema, iudicabat Mennonitam Stinstram propter librum de *Vaticiniis Messianis* publice non esse accusandum Socinianismi, atque aliquis Ordinum Deputatorum, praesente Guilielmo, dicebat: « Venemae sententia olet heterodoxiam; » respondit Princeps: « Est tamen omnium sapientissima. » Narravit I. H. Verschuir *in Elogio Venemae* p. 44. idemque in eo libello partem orationis retulit, adhuc ineditae, in qua Venema imaginem vitae virtutumque Principis sic descripsit, ut haec una ad eum cognoscendum, qualis fuerit, sufficiat.

P. 17. *Nobilitatem Frisiam pungeret.* Togati oratores nobilitatem non semel huius exempli admonuerunt. Adventus in Academiam dies festus habitus. Programma Rectoris erat hoc. « *Ser. et Cels. Princeps Guil. Car. Henr. Friso D. G. caet. Spes patriae, populi delicium, ad almam Frisiorum Academiam studiorum causa venit. Felicem et laetum adventum Rector et Senatus Academicus, quod sui esse officii existimant, publice et solemniter gratulabuntur. Verba faciet Vir Cl. P. Wesselingius. Quamobrem omnes invitat R. Andala, h. t. Academiae Rector.* » Exstat Oratio Wesselingii, recitata in templo Academiae V Nov. Mai. 1726. Verschuir. *Elog. Venemae* p. 72: Princeps Franequerae familiariter vivebat cum viris doctis, praecipue Hemsterhusio, Wesselingio, Muisio, Heineccio et Venema. Singulis septimanis stato die conveniebant, quando Cels. Princeps aderat, et non tantum eos suo excipiebat hospitio, sed et ad eorum domos commeabat. »

P. 17. *Ad discipulum olim suum.* Ipse Princeps eo praeceptore, si res ferret, multum gloriari solebat. Et Hemsterhusius eum praeclare instituit. I. H. Verschuir in *Elogio H. Venemae* pag. 74: « Eodem tempore, ut saepe ex avunculo audivi, Hemsterhusius privatim Principi patriae historiam enarrabat candide, sine odio aut gratia; sed veritati tantum litans, ut

historicum decet, non more recentissimorum calumniatorum de rebus gestis et laudibus Illustrium eius maiorum detrahebat, multo minus eorum virtutes in vitia vertebat, sed immortalia Principum huius domus merita, quibus hanc Rempublicam in aeternum sibi devinxerunt, quorum grata memoria nunquam ex Belgarum, vere patriam amantium, animis excidet, in clara collocabat luce, summis efferebat laudibus, et Principi in exemplum proponebat. Nec tamen vitia et naevos (homines enim erant, nihilque humani ab ipsis alienum) silebat, aut dissimulabat, aut adulatorum more peregrino virtutis colore illinebat, sed modeste monstrabat notabatque, recta incedens via rem quamque vero suo appellabat nomine. Hoc autem Princeps laudabat, hoc ab Hemsterhusio exspectabat, quando eius petebat institutionem, ut, quemadmodum ipse dicere solebat, sibi a vitiis caveret, virtutes vero tamquam illustre exemplum, imitatione dignissimum, sibi continuo proponeret. Utriusque sane et Principis et Hemsterhusii candor, ingenua indoles, veritatis et virtutis amor, perpetua memoria et omnium bonorum laude dignissimus est. »

P. 17. *Oudendorpius. Laudatio Funebris Guilielmi IV, ex auctoritate publica dicta a Francisco Oudendorpio VII Febr.* 1752. « Atratus erat, ut dicit, vestium color, albarum pallor vittarum, nigerrima rostra. » Nonnulla ad cognoscendam Guilielmi IV vitam facientia excerpam: Teneris annis praeceptores solis eum erudiverunt Religionis elementis et accurata linguae Latinae scientia, per longas ambages et lentis modis. Hinc ei taedium, ut saepe narravit. Delibavit ipse Mathesin et Architecturam militarem. Anno aetatis decimo quarto Franequeram abiit. Ibi vixit integer vitiis Academicis, comis, gravis et modestus, diligentissimus. Audivit in Theologia Guil. Melchiorem, in Iure Heineccium, in Philosophia Muisium, in Mathesi Lorraeum, in Universali Historia et Historia patriae Hemsterhusium et Wesselingium. Anno post abiit Ultraiectum. Ibi duos annos fuit, audiens inprimis in Theologia Alphenum, in Iure Ottonem, in Historiis Drakenborchium. Dum Guilielmum non puduit tamquam gregarium studiosorum commilitonem Musarum castra in Belgio sequi, Nassavii, Herbornensi Athenaeo praefecti, Rectorem crearunt Magnificentissimum. Quod ad exemplum deinde se composuere Belgicarum palaestrarum plures. Visitavit et Oxoniensem Academiam. Ea *Legum Doctoris* et *Societatis Eruditae Membri* titulos Principi obtulit. Nostra Pallas (Leidensis), varii generis beneficiis obstricta, debitas semper habebit grates, ac sacrati Mystae devotam beatis Manibus mentem exuet nunquam. Haec retuli verbis Oudendorpii. Gaubius in *Orat. Saeculari* dixit: « Academiam a Guilielmo IV liberalissime habitam, novisque beneficiis auctam et decoratam. » Ultraiecti *Orationem funebrem* habuit P. Wesselingius XI Febr. 1752: « Libens in memoriam eius temporis locique redire soleo, quo tali dignitate et origine iuvenem, toties in subselliis auscultantem vidi et ad quaesita dextre respondentem audivi. Quam in rem adderem complura, nisi formidine quadam praepedirer. Probavit omnibus profecto apertum pectus, acre ingenium et perspicax iudicium. Principum sine controversia doctissimus et facundissimus omnium sermone praedicatur. » Groningae laudavit Leon. Offerhaus 1752: « Licet ingentes in patria Academia (Franequerae) thesauros condidisset,

eaque esset praestantium virorum copia, ut nihil desiderare posse videretur, attamen, sive quod varietas delectat et acuit, sive quod non uni omnia data sunt, e re sua esse censuit, et alios virtute et eruditione inclytos viros salutare.» Ultraiecti autem in Theologia quoque audivit Lampium. Ultraiectum petiit, auctore avo materno, Carolo Comite Hassiae, eius tutore, cuius filii in eadem urbe studiorum causa vixerant. Cf. Cl. Heringa *Oratio de Auditorio Acad. Rheno-Traiectinae* a. 1825, pag. 189. Franequerae Schraderus dixit *Epicedium* die IV Febr. 1752. Quod Oudendorpius narravit de *Rectore Magnificentissimo*, memorabile est Frisios coepisse singularem in hoc genere Principibus tribuere honorem; nam Henricus Casimirius, mortuus a. 1696, appellabatur *almae* Frisiorum Academiae *Curator Magnificentissimus Honorarius*. Caeterum, ubi de orationibus funebribus agitur, silentio praeterire non possum orationem Harenii: *Lykrede over zyne Hoogheid Willem IV, door Onno Zwier van Haren*, Leeuw. 1766. Vidua Guilielmi IV mirata, Delphis, quum coniux esset sepultus, neminem verba fecisse, sicuti facta sunt sepulto Guilielmo I, petiit ab Harenio, maximo Guilielmi IV amico, ut orationem componeret, neque tamen ederet prius, quam Guilielmus V ad pubertatem pervenisset. Causam retardatae editionis cognoscere, aliorum non interesse; se filio tum daturam esse exemplum; si ipsa ante illud tempus moreretur, daret Harenius. Vidua Guilielmi IV iam mortua est a. 1759. Harenius orationem edidit a. 1766. Quodsi Harenius orationem sic edidit ut primum composuit, iam a. 1751 in simultate cum duce Brunsvicensi fuit. Notanda enim sunt haec verba pag. 94: «Houd, o God, van den Prins af alle godloozen, die aan hem zouden willen inboezemen de onverschilligheid in t' stuk van de Godsdienst, dat in deezen ongelukkigen eeuw zoo gemeen is onder de Grooten der aarde! Laat syn eerbied voor syne moeder overtreffen, zoo t' moogelyk is, haare liefde voor Hem! Houd van syne jeugd en jongelingschap genadiglyk af, alle verfoeijelyke wangedrogten, die meenen dat het geoorloofd is om aan een kind te mogen vragen, om by een kind te mogen verzoeken, om by een kind te mogen insteeren, van te worden het werktuig van de ongelukken van syn Vader of Moeder.»

P. 17. *Anna praeclara femina.* Annam Oratores nostri vocabant *tutorio nomine Guilielmi V Gubernatricem Belgii Foederati.* Est Oratio P. Wesselingii *in obitum regiae Britanniarum Principis Annae* sq. dicta populi Traiectini Ordinum iussu, H. Martii 1759. Postquam multa de cura materna narraverat: «Memini non multis ab hinc mensibus, et recordari plures praesentium possunt, non enim sine arbitris colloquium fuit, memini ex eius ore inaudire, id se maximo opere studere et meditari, ut filius Guilielmus, posito Latini in Corn. Nepote, I. Caesare, Ovidio, Virgilio, sermonis tirocinio, in Academiis studiosae iuventuti exemplum assiduitatis et diligentiae, in republica civibus virtutis moderationis et humanitatis specimen emineret.» Appellavi autem matrem *non dimidiatam*, imitatus A. Gellium in N. Atticis XII. 1. qui longe pulcherrimam Favorini philosophi orationem de hoc argumento retulit. «Oro te, mulier, sine eam totam integram esse matrem filii sui. Quod est enim hoc contra naturam imperfectum atque dimidiatum matris genus, peperisse, ac statim ab

sese abiecisse? » Multa de Favorini oratione sumsit Catsius nostras in matrimonio Part. II; sicuti et illa:

Een die haer kinders baert, is moeder voor een deel;
Maer die haer kinders sooght, is moeder voor t' geheel.

P. 17. *Non una Academia.* Hemsterhus. *Orat.* a. 1747: « Hic, quod ominamur, Progenies tua (Guilielmus V) tui exempli, celsissimarumque virtutum aemula, fertile sapientiae divinae humanaeque semen concipiet, et generosum pectus principalibus et honestissimis artibus inundabit. » P. Wesselingius a. 1748 diem octavum Martii in Academia Ultraiectina celebravit. Valcken. *Orat.* a. 1749 hac apostrophe utitur ad Guilielmum V: « Magnis auctibus cresce celeriter, heroum progenies, et, quam primum adoleverint vires, amantes Tui populos perambula. Sed ante omnia veni ad veros Maiorum tuorum amicos, in Frisiam veni. Si semel adolescenti Tibi Franequeram venire collibuerit, et hoc templum, hanc sedem exornare, Pacis artes et Musas tibi commendabimus. Longam contexemus Principum seriem, qui solo literarum et literatorum hominum patrocinio famam fuerunt aeternam adepti. Magistris vix indigebis, in cuius blanditiis Serenissimus Pater iam nunc curas amat et sollicitudines deponere. » Matre etiam vivente, a. 1757 Guilielmus V die 8 Februarii solemnibus interfuit.

P. 17. *Accepit propemodum omnes.* Tewaterus in *Orat.* a. 1790, nomina retulit ex Catalogis: « Iustinus a Nassau 1583. Henricus de Nassau 1623. Henricus et Guilielmus, Comites a Nassau 1626. Maurice de Nassau 1626. » In *Henrico de Nassau* annus ponendus est 1625, quod et recte factum a Tobia Andreae, Hist. et Ling. Gr. Prof. in Acad. Gron., qui Ianuario mense a. 1641, habuit Orationem *in excessum Henrici Com. Nassavii, Gubern. Fris. Gron. Omland. ac Drenthiae:* « Studiorum in aula paterna Leovardiae deposito tyrocinio, Athenas Batavas deductus fuit iam tredecennis, ut in illo magnarum mentium concilio (quo Mauritii, herois invictissimi, magni patruelis sui, adolescentiae, eo successu, factorum ingentium simulacra fuerant impressa,) ut inde post maiora experimenta ipse, huius quoque spiritus heroicus tantarum rerum instrueretur apparatu, aemulatione incalesceret. »

P. 18. *Quot quantas res. Oratio Academica ad Celsiss. et Sereniss. Princ. Wilhelm. V. caet. iussu Senatus habita in Auditorio Academico Lugd. Batav. ab Andrea Weis,* a. d. 15 Aprilis 1766: « Mihi in alia republica nato, et Iuris docendi causa huc vocato, qui aulae fortunam nunquam optavi, contigit, ut inde a pueritiae tuae annis, intimo et dulcissimo tuo contubernio frui, et in literarum studio atque disciplinarum, integro sexennio tibi adessem. Vidi magnarum virtutum pullulantia semina, potentis ingenii vim, profundi iudicii acumen mirabar. Haec aetatem longe anteverterunt. Non vanus aut obnoxius divinator praedico, patriam, tuo praesidio fultam, in maximam spem assurgere. » Operae pretium est et alia

cognoscere, quae Weisius de suo discipulo narravit. Quae in oratione mea dixi, hoc testimonio nituntur. Memorabile est illud de lingua Latina: « Quamquam intelligeres usum linguae Latinae non tam late patere in aulis Principum, agnovisti tamen iuvenilia ingenia hac potissimum lingua ad severam virtutem vitaeque castimoniam potissimum effingi posse. Dudum viderunt acuti iudices, mollem illam et delicatulam linguam, quae Principum aulas tantum non omnes, imo et scholas et Academias pervasit, et quae fere sola elegantiori pubi a teneris ingeritur, morum simul lasciviam et protervam levitatem, quibus cum maxime saeculum inquinatur, post se trahere. » Neque Principes Arausiaci tam insane amabant linguam Francicam, ut vernaculam prae ea contemnerent. Anno 1673 disputatum in Senatu, quo sermone Guilielmum III Rector alloqueretur. Allocutus est, nonnullis tamen invitis, Francice. Guilielmus respondit Hollande. Utile exemplum. Anno quidem 1747 decretum est, Rector Guilielmum IV alloqueretur Hollande. Caeterum de Guilielmo V alia nonnulla testimonia addam, unde appareat, quantopere ille, iam adolescens, fuerit ignoratus. Van der Aa T. I. p. 100: « Niet alleen verstond hij de Classique Schrijvers, maar hij verstond ze verre boven het gewoone verstaan, en stelde een delice in hunne Lectuur. Hij sprak zeer goed Latijn, schoon het iets ongewoons in hem was, want hij was alles behalven Pedant, of een uitkramer zijner kundigheden. Historien had hij altijd bij de hand om op voorkomende gevallen toe te passen, en altijd met oordeel en juistheid. Hij was een goed Metaphysicus in het Recht der Natuur, en verstond volmaakt het Ius Gentium, ook het Algemeene, zoo wel als het Duitsche, en het Neederlandsche Staatsrecht. » Idem ex fide digno auctore retulit, Cl. Lulofsium saepe doluisse, perpetuas contentiones inter eos, qui publice erant convocati ut de avertendis fluminum nostrorum periculis deliberarent, impedivisse, quominus Guilielmus V consuleretur. Historiam patriae inprimis amabat. Pater hunc ei amorem inspiravit per tabulas pictas et aeri incisas. In effigie Guilielmi I libentissime haerebat. In iis, qui puerum instituerunt, memorantur et Elias de Ioncourt, et Van Riele. Ille erat concionator Reformatus Sylvae Ducis, et munere relicto Hagam venit, mortuus a. 1770. Multos libros ex lingua Britannica in Francicam vertit. Conf. denique Berkheyus et Bilderdykius: *Aanteekeningen van Bilderdyk op Le Frank van Berkhey's Lijkgedachtenis van Willem V*, p. 78. et Guil. Harenii epistola apud Halbertsma *de Gente Hareniana*, pag. 190: « Le jeune Prince est doué de beaucoup d'esprit, et ce qui vraisemblablement sera très heureux pour lui et la republique, c'est qu'il se tourne du coté du serieux. Je n'ai jamais vu un pareil enfant, et je n'y connais rien, s'il n'en vient pas quelque chose d'extraordinaire. » Atque Guilielmi V erga literas et poësin amore multi utebantur, ita ut libellis carminibusque componendis se ei commendarent. Harum rerum iam a. 1748 largam fuisse messem narrat Wesselingius in *Epist. Sylloge Nova* Noriberg. ed. 1760. p. 160. Simul atque intelligebat, libenter Latina legit. Si orationes Professorum in lucem non mittebantur, scriptum petebat exemplum, ut Valckenaerii *de Guilielmo I* habitam a. 1769. Quam vere de auditis orationibus iudicaret, testatur Bilderdyk. in Annot. ad *Carmen Funebre Berkheyi*,

pag. 78. Eodem anno 1766, de quo dixi, Schraderus Franequerae publica auctoritate legit *Carmen Panegyricum*, laudavitque Guilielmi diligentiam in Poësi quoque positam:

« O quoties animum tenuit Romana poësis!
Sive cothurnati Mavortia Musa Maronis,
Seu tener abriperet rigui Sulmonis alumnus,
Sive modos grandes cari miratus Horati,
Grandia composita cantaret carmina voce. »

Hinc intelligitur, quo dolore hanc L. Santenii libertatem vel potius impudentiam acceperit, scribentis *Carm.* pag. 25:

Ingenuum, Princeps, ne dedignere poëtam:
  Novimus, Ausonium tu quoque carmen amas:
Sed pro perpetuis servae tinnitibus aulae
  Accipe nunc cordis candida vota mei.
Excute damnosum, simplex Guilielme, veternum,
  Arte peregrina decipiare cave.
Parce nec illustri, quicunque sit ille, latroni,
  Seu puero Mentor, seu tibi tutor erat.

Poëtae sua facultate saepe abusi sunt, praecipue in patria nostra, ubi iam ante H. Grotium, eum tamen semper modestum, N. Heinsium et alios, res et discordiae publicae materies carminum fiebant. Burmanni hunc morem aluerunt, quibus adversarii versibus respondebant, arte plerique tanto inferiores, quanto argumentis superiores. Facundiam autem veritati praeferre iam a Francis didiceramus. In *Sermonibus navalibus* (*Schuitepraatjes*) sunt nonnulla huiusmodi ridicula carmina. Quod autem de *lege nostra fundamentali* dixit Weisius, hoc Bilderdykius ita confirmavit: « Hij verstond s' Lands Constitutie beter dan iemand, zeide een vreemd Minister, die anders eene hatelijke karakterschets van hem gesteld had. » Bilderd. ad Berkheyum l. l. p. 77.

P. 18. *Tunc verbis.* Tewaterus *Orat.* a. 1790: « Testabatur Guilielmus V, cum laete florescens artium doctrinarumque studium ad reipublicae felicitatem pertineat, nihil sibi antiquius futurum, quam ut, quantum possit, tum bonis artibus praesidio sit, tum Academiae Leidensi. Addebat Princeps: Omnia se Academiae causa velle, gratissimumque sibi futurum, si quid ad Academiae incrementum et honorem conferre posset. »

P. 18. *Amicis suis narravit.* Epistolam Weisii retulit Van der Aa T. I. p. 197: « Hoezeer ik

tegen het belangrijk werk om zijne H. te instrueren, in alles wat tot mijn vak behoort, moge opgezien hebben, de buitengewone lust tot onderzoek, en eene gedurige oefening aan de zijde van dien beminnelijken Vorst, hebben alle mijne zwarigheden uit den weg geruimt, en streelen mij met het aangename denkbeeld, dat mijne pogingen met den besten uitslag zullen bekroond worden, wanneer tusschen beiden komende omstandigheden daarin geene aanmerkelijke verhinderingen te wege brengen. Daagelijks bespeur ik bij Z. H. bewijzen van een ongemeen juist oordeel, omtrent de onderwerpen, waarover wij met elkander spreeken, en dikwijls moet ik mij verbazen over de blijken van zijn sterk geheugen, waardoor hij voorgaande herinneringen zich niet alleen ten nutte maakt, maar dezelve ook weet toe te passen op onderwerpen, die daarmede in verband en samenhang staan. Wanneer het los, doch zoo het mij voorkomt, onzeker gerucht, dat sints eenigen tijd hier aan het Hof verspreid is, aangaande eene buitenlandsche reize, die Z. H. zou gaan doen, om andere landen te bezichtigen, bewaarheid wordt, zou het mij een zeker displaisier veroorzaken, dewijl zoo iets mogelijk eene andere wending in Z. H. letteroefeningen veroorzaken kon, die, na het volbrengen dier reize, niet spoedig terugkeeren, dewijl de verstrooijingen aan de Hoven en de overneming van zeden en gewoontens van andere Natien, bij het toevoorzicht zelfs, ongevoelig indringen in de jeugdige zielen van de voortreffelijkste jongelingen, onder welke laatstgenoemde klasse ik buiten twijfel mijnen Doorluchtigen Discipel rangschikke, die zich met zulk een ijver op de Weetenschappen toelegt, even, of, na het volbrengen zijner studie, de Pleitzaal of den Catheder het doelwit van alle zijne pogingen ware: eene bijzonderheid, die men zelden in jonge lieden van Rang en geboorte aantreft. »

P. 18. *Gaubius*. In *Orat. Saeculari*: « At vero, quis credat? Te, Guilielmum V, Te, tantum Guilielmi I admiratorem, eius non esse vestigia pressurum, non Principes filios tuos, cum adoleverint, nostram in disciplinam esse traditurum? Ut Mauritios, Fredericos Henricos, Wilhelmos Tertios, Tibi reddamus, avita paternaque scientiarum et virtutum laude exornatos, Principalibus innutritos doctrinis, ut pace et bello futura Belgicae civitatis columina, dignisque gente sua facinoribus immortalem Arausiacorum gloriam tuitura. Deus hoc malum avertat! Desiderat, sperat, confidit, passis exspectat ulnis alma mater. Hoc te enixe petimus, a Deo supplices precamur. » Intererat, ut dixi, Guilielmus V. Postea interfuit, quum Royenus a. 1776 recitabat carmen, quod appellavit *Otium*. Anno 1790 audivit Te Waterum, et 1794 Paradysium de *Euthanasia naturali*. Amabat omnino viros eruditos et bonos. Quum a. 1785 cum uxore et duobus filiis in Frisiam venisset, amice ad se invitavit Hermannum Venemam, eumque filii in domo ipsius salutarunt.

P. 19. *In domo illius*. Te Waterus operae pretium duxit hoc memoriae tradere in sua *Narratione*. Quod memoriae non tradidit, nam minus ad ipsam Academiam attinebat, hoc est: Guilielmus V cum binis filiis die 8 Febr. 1790 apud ipsum coenaverunt. Annotatum tamen est in *Resolut. Curat. Mss.*

P. 19. *Hermannus Tollius.* Tollius erat Lit. Hum. Professor in Athenaeo Amstelodamensi. Guilielmus V eum a. d. 28 Febr. 1785 constituit praeceptorem binis filiis et filiae. Parentes antea liberis praeceptorem destinaverant Perrenotum. Eo mortuo, cogitarunt de Tollio et Meinardo Tydemanno. Comes Lyndenus, cui tota ea res erat commissa, utrumque plurimi faciebat: Tollium hic praetulit, eumque non sine multo labore permovit, ut conditionem acciperet: quem ego virum in hoc negotio sese ita gessisse reperio, ut solo patriae amore ductus fecerit, quodcunque fecit. Amor parentum et discipulorum brevi post accessit. Cognovi Tollium ex libellis Mss. Erat vir multarum virtutum, verus Neerlandus, aestimatione gratae posteritatis dignissimus. Auxilium Guicheriti et Euleri multum laudabat. Guicheritus erat Sacrorum Librorum Interpres in aula Guilielmi V, eiusque iam mortui a. 1797 in lucem prodiere *Sacrae Orationes.* Eulerus mortuus est a. 1800, Hagae Comitum. Legatus regis Succiae virum multis virtutibus excellentem laudavit. Conf. *Discours, prononcé le* 18 *Juillet* 1800, *à l'occasion de l'enterrement de M. Euler, Conseiller de Régence de S. A. S. le Prince d'Orange et Nassau, par Monsieur le Comte de Löwenhielm, Envoyé extraordinaire de S. M. Roi de Suède près la Republique Batave.* Guilielmus V. operam Tollii valde probabat. Itaque et a. 1788 filio natu maiori comitem addidit in itinere per partem Germaniae facto. Legendus hic est Te Waterus in *Vita Tollii.* Hoeufftius mortuum a. 1822 hoc epigrammate laudavit:

Te licet exstinctum tot docti, Hermanne, labores
    Interiisse vetent:
Talem Belgiadum populo formasse Monarcham,
    Plus ego miror opus.

P. 19. *Data est ei norma.* Hoc est, ipse Tollius huiusmodi normas prius componebat ostendebatque parentibus. Hi suum iudicium interponebant, et probatas ei reddebant. Exemplo sit Ms. epistola, ab uxore Guilielmi V. scripta ad virum illustrem I. C. van der Hoop, d. 6 Sept. 1784.

« J'ai lue avec attention le court exposé, que Mr. Tollius a bien voulu nous donner de ses idées, tant sur l'instruction en géneral, que sur celle de l'Histoire et du Droit Naturel en particulier. Il me paroit simple et judicieux, il me confirme dans l'opinion avantageuse, qu'on m'avoit donnée de ses lumières et de son jugement. Une chose sur tout me fait plaisir, c'est que Mr. Tollius reconnoit, qu'une bonne instruction doit être plus ou moins modifiée d'après le caractère des Elèves, et que l'instituteur doit tacher de se mettre à la portée des Enfans. Au premier égard, il me verra toujours très disposée à lui communiquer mes observations sur le caractère de mes Enfans, et je serai charmée, que de son coté il me dise naturellement, s'il les trouve justes, lorsqu'il aura eu le tems de l'étudier lui même. Quant au second égard, je m'en soumets à son propre tact, après qu'il aura examiné mûrement les connoissances, que les enfans ont deja acquises, jusqu'à

quel point leur jugement est formé, de quel degré d'attention ils sont capables et caet. Je crois qu'il ne lui sera pas désagreable, que je me reserve de lui dire toujours mon sentiment avec franchise; j'ai trop bonne opinion de lui pour en douter: cette même franchise, j'ose l'attendre de sa part. Je lui promets, qu'il ne s'en repentira pas. Il pourra également s'ouvrir avec confiance, soit à moi directement, soit à M^r. de Lynden. Ce seroit aussi faire un tort essentiel à M^r. Tollius, si je mettois un instant en doute, qu'il puisse perdre de vue les égards et la déference, qui sont dues de toute façon à M^r. de Lynden, et qu'il ne cultive pas la bonne harmonie avec Mlle Hobard et M^r. Euler. Tous ceux, qui ont quelque part à l'éducation ou à l'instruction des Enfans, ne doivent avoir qu'un seul et le même but, *le vrai bien des Eléves*. Ce lien doit les réunir. J'ai toujours désiré de faire observer ce principe fondamental de toute bonne éducation, et je m'assure que M^r. Tollius en reconnaitra avec moi la nécessité. Tout autant, que j'en puis juger, il me paroit qu'il pourra suivre en entier la méthode, qu'il a proposée à l'égard de mes fils. La seule chose, que j'ose recommander encore ici, c'est, qu'il veuille bien exercer peu à peu les Enfans à mettre souvent, soit leurs idées sur tel ou tel sujet, soit le resumé de leur leçon, par écrit. L'adulation, qui a corrompu tant d'heureux naturels et destruit les fruits d'une bonne éducation, devroit sûr tout être bannie d'une Republique, mais, quelque peine qu'on se donne afin de l'écarter, elle s'y glisse quelquefois imperceptiblement. Elle est sur tout odieuse dans la bouche d'un instituteur. Je suis persuadée, que M^r. Tollius en juge de même. Mais, je ne crois pas déplacé d'observer ici, que je désire extrêmement, qu'il évite tout ce qui pourroit exciter l'orgueil de mes Enfans, et qu'il ne suive vis à vis d'eux d'autre regle, que la justice et l'équité. Je n'approuverai jamais des ménagements, qui pourroient leur nuire. Leur naissance les oblige doublement d'acquerir des connaissances distinguées, et donne plus d'étendue à leurs devoirs. C'est ce, qu'on ne peut trop profondement graver dans leurs coeurs. Tels sont, Monsieur, les idées, qui me sont venues à la lecture de ces pièces, et que vous pouvez communiquer à M^r. Tollius, si vous le jugéz à propos. Je serai charmée présentement de faire sa connaissance, et d'avoir la certitude, qu'il se chargera de l'instruction de mes enfans sur des études aussi intéressantes et aussi importantes pour eux. Je suis avec une parfaite estime

Monsieur Vôtre très affectionnée
Wilhelmine.

P. 19. *Quae vita et mores.* Quae de Guilielmo Frederico et fratre dixerunt viri clarissimi, haec sunt: Tollius a. 1788 *Lexicon Sophistae Apollonii* dedicare volebat Ruhnkenio: sed eo volente atque etiam iubente dedicavit Guilielmo Frederico et Guilielmo Georgio: « In regiae matris gremio, inquit, inde a teneris ad omnem elegantiam atque humanitatis sensum educati, non literis solum nostris tam impense favetis, ut dubitari nullo modo possit, quin antiquam

in his quoque Batavorum dignitatem et decus vestro olim praesidio egregie confirmetis. » Tum commendat iis Homerum : « a cuius lectione ut nemo unquam nisi doctior meliorque discessit, ita vos praesertim, quo aetas vestra erit maturior, eo ampliores in dies feretis fructus, tum in regum forte populorumque aestu cavendo aut moderando, tum vero in deligendis nobilissimis sapientiae ac virtutis exemplis, quae et intueamini perpetuo et in rebus gerendis imitemini. » Postquam eos oraverat ut et literas Graecas amarent iuvarentque: « Faxit Deus, ut virtutis usus ita vobis cum vitae prosperitate et generis honorumque splendore coniunctus esse pergat, ut, quam maiorem in dies concitatis, aliquando re ipsa superetis exspectationem vestri, debitamque parentibus ac patriae pietatem ad summam usque senectutem cumulatissime praestetis. » Kluitius *Primas lineas Historiae Foederum Belgii Foederati* Guilielmo Frederico a. 1790 misit et scripsit: « Collegis meis suae cuique assignatae fuerant docendi partes; mihi vero uni, quae profecto singularis vitae meae est felicitas, contigit, res patrias et immensum illum rerum, quae nostram rempublicam ad tantum honoris et dignitatis fastigium evexerunt, vel interdum affecerunt, campum Tecum percurrere et tamquam in speculo proponere, quae nostra in patria, inprimis externis cum nationibus, sint facta sequenda, quaeve vitanda. Hunc igitur meum laborem, hoc opusculum, cui potius inscriberem quam Tibi, optime Princeps, qui, quamdiu inter nos versatus es, non modo in omnibus tuo praeivisti exemplo prorsus egregio, tuaque benevolentia et colloquii facilitate omnium civium benevolentiam et amorem conciliasti, sed et strenuam adeo literis operam navasti, meque ita diligentiae tuae plane singularis perpetuum testem fecisti, ut nesciam quid prius praesens in te admirari debuerim, discendi ardorem et assiduitatem, rerum ac causarum intelligentiam, ingenii acumen, subacti vim iudicii, an studium conservandi et memoriae commendandi fideli ea, quae, magno cum patriae bono coniuncta, ad promovenda Reip. commoda et honorem quam maxime faciant, ita ut non cum iuvene, sed cum viro sermonem me conferre saepe existimaverim. » Adventus Principis haereditarii in Academiam festo Academico celebratus est, Ioanne Cornelio van der Kemp more maiorum renuntiato Iuris Utriusque Doctore die 23 Aprilis 1790. Renuntiavit Cl. D. G. van der Keessel. Juvenis princeps cum patre intererat. Professor in *Dedicatione* et in *Oratione* scripsit: « Inter prima vitae meae gaudia et ornamenta hoc reputo, quod Tibi principia Iurisprudentiae civilis et hodiernae explicare mihi contingat, summa attentione et benevolentia haec audienti, et praeclara animi, iusti honestique sensu imbuti et ad humanitatem propensi, indicia exhibenti, quae laborem a me adhibitum summa non modo voluptate compensant, sed et certa spe animum recreant, utilissimam patriae operam futuram esse, quam in studiis nostris excolendis in hac quoque Academia, a Maioribus tuis instituta, tanta diligentia et tam egregio exemplo impendis. » Et in *Oratione:* « Princeps pro eo, quo est in quaelibet studia, sibi olim profutura, ardore inflammatus, Iuris studio hic operam navat, et diligentia reliquis Iuris cultoribus exemplum praebet, quod imitentur, prorsus egregium. Cuius Principis exemplum privati et integerrimi mores ita commendant, ut spem fovere liceat pulcherrimam, publicas quoque eius virtutes olim Reipublicae nostrae et viris bonis egregio

futuras esse et praesidio et ornamento. » Omitto alia, quae Cl. Pestelius a. d. 23 Iulii 1790 in Senatu dixit, et relata sunt in *Actis.* Quum Guilielmus Fredericus in eo erat, ut Academiam relinqueret, Senatus eum salutavit. Princeps Senatui pollicitus est pictam Guilielmi I effigiem. Eam brevi post misit cum epistola:

Viri Nobilissimi et Doctissimi.

Cum in celeberrimae Academia Vestrae gremio versari mihi contingeret, praeter eximium variae eruditionis atque doctrinae fructum, quem ex praeclara institutione quorundam Vestrum referre studui, hunc quoque me percepisse inprimis gaudeo, quod benignissimum Vestrum erga me animum ex luculentis rerum testimoniis perspexerim. Quanti eum faciam ut pateret, meum duxi, publicum aliquod gratae mentis, qua beneficia apud me collocata semper recorder, monumentum in aede Vestra Academica ponere. Hoc tamen officio perfungi, peregrinationes ac excursus varii me huc usque prohibuerunt. Mitto igitur tandem Vobis, Viri Nobilissimi et Doctissimi, quam hoc in genere Vobis maxime iucundam atque acceptam fore nullus dubito, effigiem Guilielmi I Principis Auriaci, inclytae Musarum sedis, quam condecoratis atque tuemini, Conditoris Gloriosissimi, cuius memoriam, Vobis Sacram et caram, ut mei recordatio aliqua apud vos permaneat, effecturam esse sperare mihi liceat. Vobis vero, Viri Nobilissimi et Doctissimi, ut persuasum sit, rogo, me quam libet occasionem commoda atque splendorem Academiae Vestrae, pro virium mearum modo, tuendi et augendi, alacri animo amplexurum esse. Valete.

Dabam Hagae Comitum a. d. VII Id. Ian. MDCCXCI.

Vester addictissimus Guilielmus Fredericus
Princ. Haered. Araus. et Nass.

Rector et Senatus responderunt:

Celsissime ac Serenissime Princeps!

Quas paucis ante diebus ad nos dedisti, literas non uno nomine nobis pergratas acceptasque fuisse, non est, quod dubites. Etenim ex iis intelligimus illam spectatam Tuam comitatem humanitatemque, qua Tibi animos nostros in perpetuum divinxisti. Neque ex memoria nostra excidit, Celsissime Princeps, aut Tua apud nos commoratio, augendo Academiae splendori maxime comparata, e qua non contemnendi ad hoc Lyceum redundarunt fructus, inque posterum redundaturos non frustra auguramur, aut illud vitae Academicae genus, quod ita in literis collocasti, ut acerrimum Tuum studium iuventutis Belgicae industriam mirifice acueret.

Impense nos gaudemus, Te, Serenissime Princeps, conservare memoriam Academiae Leidensis, cui tantum splendoris honorifica Tua praesentia conciliasti, cuius salutem si perpetuae Tuae benevolentiae ac favori commendaremus, de prolixa Tua voluntate, tot documentis nobis perspecta, dubitare videremur.

Munere autem illo, quod Senatui Academico obtulisti, nec praestantius aliud, nec magis exoptatum offerri poterat. Quoties enim imaginem Guilielmi I, Principis Auriaci, intuebimur, toties pia mente venerabimur Patrem Patriae optimum et immortalem, libertatis avitae vindicem acerrimum, fundatorem Academiae Leidensis sapientissimum, simul quoque non mediocris voluptas nos subibit Tui, Serenissime Princeps, recordandi, in quo ut Academia nuper summum suum ornamentum posuit, sic posthac est summum suis rebus praesidium positura. Quod cum affirmamus, noli suspicari adulationi, a qua sicuti mens Tua generosa abhorret, ita nos quoque alieni sumus, aliquid serviliter dari; sed id existimes, quantopere tali voluntate et tam praeclaro munere Senatum Academicum beaveris, candide nos testari, atque adeo his ipsis literis significare, nos Te, Optime Princeps, colere non ante desituros, quam Tu, qui es, esse desieris: quod nunquam fore, non tantum speramus, sed etiam certum exploratumque habemus.

Deus O. M. Te diutissime servet Reipublicae, Ecclesiae, Augustis Parentibus, omnibusque sanguinis et affinitatis vinculo Tecum coniuntis, sponsae etiam Regiae, eidemque, brevi post, Coniugi dulcissimae!

Gentem Auriacam et Nassaviam Deus foveat ac conservet, laudemque Eius et prosperitatem perennem esse iubeat!

Tu vero, Celsissime Princeps, nostrae delitiae, omni bonorum genere, quo dignus es, cumulatus, vive ac vale.

Scribebamus in Academia Lugduno-Batava, d. XII Ianuarii a. MDCCXCI.

Celsissimi Nominis Tui aestumatores
aequissimi
Rector et Senatus Academiae Lugduno-Batavae,
Eorumque mandato ac nomine
Iona Guilielmus Te Water
Senatui Academico ab Actis.

Utramque Epistolam ex *Actis Senatus* edidi.

P. 19. *Prae se ferunt.* Est Pestelii Oratio, habita die 6 Febr. 1775, *De Literarum studiis florentibus pro eo, quo a populorum Rectoribus cohonestantur, pretio.* Creabantur tunc quatuor Doctores more maiorum. Guilielmus V etiam intererat.

P. 19. *Antiqua vulnera.* Sententia Kemperi de discordiis, quibus res Hollanda fuit dilapsa, iuventuti nostrae non satis commendari potest. Vir ille immortalis eam suae patriae quasi testamento reliquit, expressam in *Epistola ad H. H. Klynium*, quum hic a. 1823 Carmen

De postrema Ruiteri expeditione edebat. Brevis est Kemperi libellus, sed multos multorum historicorum longissimos veritate et utilitate superat. Aurea verba, divinam orationem, cuius initium Latine apponam: « Arbitror equidem pristinam nostram historiam esse negotium a praesente rerum statu prorsus separatum. Hodierna populi Neerlandi, in libertatem restituti, conditio, non similis est conditioni Franciae. In Franciam enim instauratum gentis Borboniae regnum antiquas factiones simul revocasse videtur. Franci rerum ante actarum filum relegerunt. Apud nos nova vita est instituta. In hanc ex vetere vita nihil transiit, nisi nominum magnorum splendor, quae gloriam Neerlandiae cum omni posteritate adaequarunt. »

P. 19. *Georgius.* Guilielmus Georgius Fredericus natus est 13 Febr. 1774. Pater eum distinaverat rei maritimae. Tempora consilium impedivere. Quum duces Neerlandos ob victoriam navalem prope Syrtes Asellinas a Britannis reportatam aureo nummo ornabat, aderant bini filii, eosque adhortabatur, ut, si res postularet, tam illustre exemplum imitarentur. Georgius in primis commotus fuisse dicitur. De virtutibus et amabili comitate huius principis ex eo iudicari potest, quod, immatura morte in patriam nuntiata, non unus adversariae factionis, a lacrymis temperare non potuerit. De Georgio operae pretium est legere, quae scripsit D'Escurius *Laud. Holl.* T. II. p. 371 sq. Van der Aa *Vit. Guil. V* T. III. p. 51 et *Mémoires tirés des Papiers d'un Homme d'État* T. VII p. 206: « L'Autriche avait deja designé l'archiduc Charles pour commander sa grande armée d'Allemagne, et mis à la tête de celle destinée à agir en Italie le Prince Frédéric d'Orange, rappelé d'Angleterre depuis que l'expédition et le blocus de l'Egypte y avaient fait cesser toute crainte d'une descente de la part des Français. Ce choix était d'autant plus heureux, que le Prince Frédéric, aimé et estimé des troupes, s'était quoique très jeune encore, brillamment distingué dans les dernières campagnes de Flandres, et que, plein de feu, de zèle et de génie, il semblait destiné à ressusciter la gloire des grands hommes de son illustre maison. Volant aussitôt à son poste, il avait deja combiné son plan d'attaque et fait toutes les connaissances militaires nécessaires à son exécution. Il pressait vivement le cabinet autrichien de prendre l'offensive, avant que les Français eussent complété leurs moyens de défense ou d'attaque, quand il mourut, presque subitement, le 6 Janvier 1799. » Mater indolem filii ita depinxit futuris eius praeceptoribus, ut inveni in MSS. Tollii: « Quant à mon fils Frederic, de tout temps il a declaré les germes d'une ame forte, et il les a manifestés par des actes exterieurs. Sa sensibilité ne s'est rarement exercée, que sur des objets essentiels. Les bagatelles ne l'ont pas beaucoup affecté. Naturellement peu caressant, et serieux, haïssant les contradictions, il n'a versé que des larmes de reconnaissance, lorsqu'on lui accordoit ce qui lui tenoit bien vivement à coeur, et souvent de depit, lorsqu'on lui refusait ce qu'il désiroit. Le développement successif de ses facultés intellectuelles s'est fait lentement. Courageux, hardi, entreprenant, méprisant les dangers, aimant tous les exercices du corps, on avoit de la peine à le forcer à l'Etude. Mais quand une fois on le tenoit, on possédoit son attention en entier. Cet

enfant réunit tout ce qui peut mener aux grandes vertus et aux grands vices. » Quum Tollius in eo erat ut cum Principe Arausiae haereditario iter in Germaniam susciperet, parentibus libellum tradidit, cuius argumentum erat ipsius itineris ratio, titulus: *Vrije inzichten in de belangens van het Stadhouderlijk Huis en van de Republiek.* De Georgio ita scripsit: « Verkleefdheid aan het goedhartig en beminnelijk karakter van Prins Frederik, zal het moeielijk maken van Hem te scheiden, en ook, gelijk ik mij vleie, tot genoegzame verschoning strekken voor de vrijheid, om zijn opzicht eerbiedig aan de doorzichtige oplettendheid van H. H. te durven aanbeveelen. Dat vooreerst de aangename ernst van zijn bestaan en houding behoed worde van te ontaarden in eene ingetogene stroefheid, en dat door opbeuring vooral en blijkbare begunstiging van die geenen, welke Hem het meest omringen in zijn dagelijks verblijf, die vrolijke opgewektheid hersteld worde, die geschikt zij, om Hem bij het slijten van aangename oogenblikken dat zachte en milde in zijnen omgang te doen behouden, hetwelk Hem tegenswoordig bij iedereen bevallig maakt. Dat ten tweeden, in de keuze zijner onderwijzers, niet slechts op de bekwaamheid, maar ook op de godsdienstige grondbeginsels gelet worde, welke hun algemeen worden toegekend. H. H. weeten, hoe de schijn zelfs van onverschilligheid daaromtrent niet dan nadeeligen indruk kan maken op onze natie; en indien daarenboven het gezag der Christelijke zedekunde eens zijne kracht verloren heeft op den geest van een Vorst, wiens driften weldra in hunne volste kracht, en wiens stand en handelingen bijna boven alle Burgerlijke wetten zullen zijn, dan kan men niet dan met ontroering vooruitzien, hoe alle de vrucht van vorige zorgen en het hart van den Prins zelven staat weggesleept te worden door den driftigen stroom der hartstochten. Welke mildheid toch, welke ruimte en onbedwongenheid men ook in de begrippen over den Christelijken Godsdienst bij eenen Vorst met recht verlangen moge; niets evenwel zou gevaarlijker en onverantwoordelijker kunnen zijn, dan denzelven bij Hem geheel te ondermijnen, bovenal in die jaren, in welken het verstand nog niet volkomen vatbaar is voor eene levendige overtuiging omtrent eene aäneenschakeling van waarheden, welke men Hem als den regel van zijne verpligtingen en den weg tot zijn geluk zou willen aanprijzen. »

Multas vidi Frederici ad Tollium epistolas, animi illius boni et amabilis non minus quam fortis et generosi testes. Iam puer, a. 1784, illud commercium cum dilecto praeceptore incepit. Augusto mense a. 1793 Ipra scribebat: « Wij leeven hier zeer eenvoudig in Campagne, staan zeer vroeg op, en gaan ook vroeg naar bed, maar ik kan UEd. Gestr. verzekeren, dat mij dit leeven veel beeter als het Haagsche leeven aanstaat. Ik wenschte maar, dat wij eens in het geval kwaamen, om iets te kunnen doen enz.

Waardste Vriend

UWE. Gestrenge beste Vriend en Dienstwillige Dienaar
Fr. Pr. van Orange. »

Brevi post occasionem virtutis ostendendae nactus, vulnus in brachio accepit, quod mense

Martio 1794 nondum erat sanatum. Eo mense scribebat: « UEd. Gest. zal zeker al geinformeerd zijn, dat mijne cicatrice weder opengebroken is, daar zijn zelfs alreeds eenige klijne schilfertjes uitgekomen, en daar zullen er waarschijnlijk noch eenige uit moeten komen. De pijn die mij dit veroorzaakt, is niets, maar wat mij het meeste spijt, is dat dit mijne terugkomst naar het leger weeder verwijdert. » Haec et alia excerpsi ex libellis Mss. a. Cl. Tollio relictis. Quid statuendum sit de libello quodam, qui a. 1808 prodiit, continente excerpta, ut dicitur, ex epistolis Georgii, ignoro. Titulus est: *Godsdienstige Overdenkingen van Willem G. F. Prins van Oranje.* sq. Argumentum esse videntur effectus turbarum Francicarum.

Sepultus est Patavii in Cimeterio. In lapide sepulcri legitur:

Hier ruhet Prinz Friederich von Oranien:
Herführer der Teutscher in Italien.

Postea ei positum est, opera matris, viduae Guilielmi V, pulchrum monumentum, cuius imaginem retulit D'Escurius l. l. et refert Nummus cum honorifica inscriptione a. 1837 in memoriam dilecti Principis cusus, et descriptus in Cl. van der Chys *Diario Numism.* V. I. p. 884, n. 367. Excellens artifex Canova, rogatus ut faceret, audita animi magnitudine caeterisque Georgii laudibus, omnia, quae in manibus habebat, reliquit. Hoc cognovi ex libro *de Garde d'Honneur door I. A. Boymans*, Zutph. 1823.

P. 20. *Novus rex.* Verus fuit Te Waterus, quum in *Oratione* a. 1790 dicebat: » Tibi, celsissime Princeps haereditarie, gratulamur eos Parentes, qui ad summam reipublicae et ad decus tuum pertinere existimarunt, ut mens tua, literarum artiumque scientia, Principibus maxime necessaria, excoleretur. Huius autem Academiae memoria, non dubitamus quin Tibi semper aeque grata futura sit, atque Mauritio fuit.» Quid novus rex Academiae praestiterit, apparet ex legibus de re Academica universis, et ex *Annalibus Academiae Leidensis* a. d. VI Nov. MDCCCXV ad d. VIII Febr. MDCCCXVI, Rectore Magnifico Kempero, scriba Palmio. Atque hoc genti Nassaviae fere universae fuit proprium, ut literis bonisque artibus faverent. Athenaeum Lovaniense impulsu Engelberti I fuit conditum. Academia Franequerana, Groningana, Lingensis, Schola Bredana, Nassavios habuerunt auctores. Guilielmus III quoque Academiam Harderovicensem restituit. Guilielmus IV ex Schola Illustri Herbornensi facere voluit Academiam. Testor praeterea Mauritium Brasiliensem, Adolphum Nassavium, alios. Atque huius Adolphi facta mentione, et laudo elegantem de eo compositum libellum a viro venerando M. I. Adriani, quum Groningani a. 1826 monumentum posuerunt prope pagum Heiligerleam, ubi a. 1568 fortissime pugnans cecidit, et corrigo mendam, quae hoc Epigramma Latinum dedecorat:

Non moeror, bello cecidi quod victus ab hoste;
Pugnando fortem claudere fata decet:
Hoc queror, obscuro perii quod milite caesus,
Nec tandem de me strenuus hostis habet.

Scribendum scilicet est:

Nec laudem de me strenuus hostis habet.

Ita iubent et sententia verborum, et locus Ovidii, quem auctor ante oculos habuit, *Heroid.* epist. XVII. 18.

Et laudem de me nullus adulter habet.

Doctissimus Adriani hoc epigramma de Adolpho repetiit ex antiquo Hollando Chronico, quod servatur in Bibliotheca Comitis Steinfurtensis.

Istas autem gentis Nassaviae laudes attigerunt Saxius in *Dedicatione Onomastici Literarii*, et *D'Escurius* in opere saepe laudato.

P. 20. *Guilielmum Fredericum Carolum.* De studiis huius Principis exposuit Siegenbeekius in Hist. Acad. Leidensis. Addo verba Palmii ex Annal. Acad. Leid. T. I. pag. 9: » Novum (mense Octobri 1814) conditum fuit Album, cui civium Academicorum nomina inscriberentur. Primum inter hos locum obtinuit Guilielmus Fredericus Carolus, Arausiacus Princeps, summi Foederati Belgii Moderatoris filius natu minor, cuius Frater, haereditarius Princeps, in illustrissima Angliae Universitate Oxoniensi non sine laude Literarum studiis operam navarat. Atque hoc tanti civis in Academiam nostram adventu inclytus fuit hic annus cum Palladi Leidensi ad decus et famam nihil maius praestantiusque tali alumno, studiosae autem iuventuti nihil exoptatius accidere potuerit, quam exemplo summae humanitatis, modestiae, amabilitatis, virtutumque omnium, quae iuveni, Regio sanguine orto, esse possint ornamento, ad Patriae, ad Principis, ad bonarum artium disciplinarumque amorem stimulari atque inflammari.«

P. 20. *Commilitonibus Academicis.* Quid adolescentes Academici pro patria in armis fecerint a. 1672, 1815, et 1831, exposui in *Oratione auspicandis lectionibus mense Octobri a.* 1831. Si P. Cunaeus tantam iuvenum virtutem cognovisset, maiore profecto iure *Palladem armatam apud Batavos habitasse* contendisset in *Orat.* a. 1624. De militaribus exercitationibus, quas Leidenses faciebant a. 1672, duce Christiano Mellero, Professore Mathematico, elegans est locus in *Oratione Heydani Gratulatoria* ad Guilielmum III, pag. 70, 71: » Sub quo brevi tempore ita profecere, et omnes incedendi, festinandi, standi et quiescendi modos tam avide arripuere, omnes flexus et motus corporis et rursum, prorsum, antrorsum, retrorsum, sinistrorsum, dextrorsum docti sunt, et ad nutum oculi et manus sui ducis gestus aptare; bombardam rite et ad artis regulas humeris imponere, manibus versare, explodere; hastam scienter vibrare didicerunt, et omnia strenui militis officia et munia adimplere, quasi vel a natura ad hoc facti, vel aetatem in istis exercitiis trivissent. Neve tantum simulatum hoc bellum putes, aut ludicra Martis exercitia; nullus eorum est, qui non, flagitantibus sic patriae rebus, paratus sit verum bellum suscipere, et ficta haec proelia in seria convertere.« Adde Fabricii *Orat.* in *Natal. Tertium Academiae* p. 28, 29. Severinum *Oorspronk. Beschrijv.* p. 150 et Kok *Vaderl. Woordenboek*, T. I. p. 168. Die 16 Iunii cohors iam erat composita.

die 9. Julii. Senatus obitum luget Viri cl. GERARDI WTTEWAAL, in Facultate Disciplinarum Mathem. et Physic. Prof. Ord.

die 21. Sept. Recitantur litterae Ill. Curatorum, e quibus Senatus intelligit Virum clarissimum GYSBERTUM JOHANNEM ROOYENS, quod ipsi a Rege oblatum erat munus Professoris Ordinarii in Facultate Theologica hujus Academiae, accipere non potuisse.

die 23. Novembris. Legitur Regis Augustissimi Decretum 27. Oct. quo Viro Cl. J. G. S. VAN BREDA, roganti conceditur Harlemi nova obire munera, tum Actuarii Societatis Scientiarum Hollandicae, tum Directoris Museorum Fundationis Teylerianae, salvo titulo atque honore Professoris, et parte stipendii.

eodem die. Amplissimorum Curatorum litteris Senatui nuntiatur, GERARDUM HENRICUM BLANKEN Academiae Pedellum esse creatum.

die 21. Decembr. Rector Magnificus exhibet catalogum hujus Academiae alumnorum, e Regio praescripto confectum die 1°. Novembris, e quo constat 674 esse cives qui nomen dederint.

eodem die. Designantur Candidati apud Regem edendi, e quibus Rector Magnificus in sequentem annum Regio Decreto constituatur. Designati sunt V. V. Cl. Cl.

C. PRUYS VAN DER HOEVEN.
J. R. THORBECKE.
J. CLARISSE.
J. VAN DER HOEVEN.

Dein Candidati, e quibus in proximum annum Actuarius constituatur. Designati sunt V. V. Cl. Cl.

P. HOFMAN PEERLKAMP.
J. R. THORBECKE.
G. SANDIFORT.
J. CLARISSE.

Mandatum est Actuario ut priorem catalogum solennibus litteris ad Regem mittat; utriusque autem Ill. Curatores reddat certiores.

1839. die 24. Jan. Legitur Regis Aug. decretum 14. Jan. quo Rector Magni-

ficus in sequentem annum creatur Vir. Cl. CORNELIUS PRUYS VAN DER HOEVEN, M. D. et Professor Medicinae Ordinarius. Rectori Magnifico in annum sequentem Adsessores constituuntur V. V. Cl. Cl.

H. G. TYDEMAN.
N. C. KIST.
C. G. C. REINWARDT.
J. M. SCHRANT.

1839. die 8. Febr. Rector Magnificus refert in conventu Curatorum, Rectoris Magnifici et Assessorum, e Candidatis designatis se creâtum esse Senatus Academici Actuarium in annum sequentem. Senatui igitur ab actis erit Cl. P. HOFMAN PEERLKAMP, in Fac. Phil. Theor. et Litt. Hum. Prof. Ord.

Introductis dein in Senaculum Curatoribus V. V. I. I. jusjurandum praestiterunt Cl. PRUYS VAN DER HOEVEN, creatus Rector Magnificus, et Cl. P. HOFMAN PEERLKAMP, creatus Actuarius.

Rector Magnificus cum Senatu reliquisque Professoribus in auditorium majus progressus e cathedra orationem pronuntiavit *de perpetua, quae Academiae Leidensi cum Gente Arausiaca intercessit necessitudine, spectata praecipue in studiis Principum.* Tum, memorata rerum Academicarum per annum praeteritum Historia, per Actuarium recitavit Judicia Facultatum de commentationibus pro certamine literario conscriptis, renuntiatisque victorum nominibus,

ex ordine Philos. Theor. et Litterarum Hum. ornatissimos ANDREAM CORNELIUM VAN HEUSDE et HERMANNUM HENRICUM KEMINK, in Academia Ultrajectina Literarum studiosos,

et

ex ordine Medicorum Orn. JOANNEM GOLDSCHMID NANNINGA, Med. Stud. in Acad. Groning. honoris causa nominavit; et infelicem commemoravit sortem Orn. JOANNIS LUDOVICI SCHLIMMER,

Medicinae in hac Academia Studiosi, cui, propterea quod legitimum tempus in Academia non transegit, aureum praemium, quo Facultas Medica librum illius dignum censuit, tribui non potuit.

Ex ordine Jureconsultorum Orn. GERARDO DE VRIES ABRAMI F., et ex ordine Discipl. Math. et Phys. Orn. SAMUELI EMANUELI SARPHATI, nummos aureos porrexit.

Rector Magnificus, solemnibus verbis magistratu deposito, e cathedra descendit et in subsellia rediit.

Actuarius recitat pro concione Decretum Regium, de Rectore Magnifico in sequentem annum creato, Cl. C. PRUYS VAN DER HOEVEN, memorat qui Assessores Rectori dati sint, et qui Actuarius sit constitutus.

SERIES LECTIONUM

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

in annum MDCCCXXXVIII — MDCCCXXXIX *proposita.*

RECTORE MAGNIFICO

PETRO HOFMANNO PEERLKAMP.

FACULTAS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

P. HOFMAN PEERLKAMP explicabit Historiam Universalem Antiquam, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . horâ XI.

Interpretabitur C. SALLUSTII CRISPI Bellum Jugurthinum et C. VALERII CATULLI selecta carmina, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . IX.

Libros I et II AENEIDIS VIRGILII, die Veneris . . . . XI.

J. H. VAN DER PALM, quantum aetas et valetudo patientur, studiis juvenum Academicorum non deërit.

M. SIEGENBEEK, Historiam Patriae enarrabit, diebus Mercurii, Jovis et Veneris . . . . X.

Stili atque Eloquentiae Belgicae praecepta tradet, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . XII.

VONDELII selecta carmina interpretabitur, bis per hebdomadem, diebus et horis, pro Auditorum commodo, constituendis.

Exercitia oratoria moderabitur, die Saturni . . . . I.

J. BAKE interpretabitur HOMERICAE Odysseae Lib. XIX et XX: tum PLATONIS *Georgiam*, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis. X.

Antiquitates Atticas explicabit, secundum SCHOEMANNI librum nuper editum, hac inscriptione: *Antiquitates Juris Publici Graecorum*, diebus Lunae et Mercurii . . . . I.
Scholas Paedagogicas continuabit, iisdem diebus . . . . horâ II.

J. NIEUWENHUIS Logicam docebit, diebus Veneris et Saturni . . IX.
Metaphysicam, diebus Jovis, Veneris et Saturni . . . . . . X.
Scholas Paedagogicas continuare et Historiam Philosophiae, aut Philosophiam moralem explicare paratus est, diebus et horis Auditoribus commodis.

G. L. MAHNE Antiquitates Romanas tradet, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . XII.
Historiam Artium et Doctrinarum studii apud Romanos exponet, diebus Jovis et Veneris . . . . XII.

J. M. SCHRANT Patriae Historiam explicabit, diebus Mercurii, Jovis et Veneris . . . . I.
Antiquitates Germanicas, Batavicas, Frisicas interpretabitur, die Veneris hora XII et die Saturni hora . . . . IX.
Eloquentiae Historiam Criticam, cum veteris tum recentioris aevi, explicare paratus est; diebus et horis Auditoribus commodis.

H. E. WEIJERS Sermonis Hebraei elementa tradet, tum Grammaticâ explicandâ, tum analyticis exercitiis moderandis, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . VIII.
De iisdem elementis cum tironibus familiariter domi colloquetur, die Mercurii . . . . V—VII.
Litterarum Arabicarum, Chaldaïcarum et Syriacarum initia docebit; diebus Martis et Jovis . . . . I.
et die Veneris . . . . VIII et IX.
Provectioribus explicare perget HAMASAE Carmina cum TIBRÎZII Commentario, die Lunae . . . . I.
BAR-HEBRAEI Chronicon Syriacum, die Mercurii . . . . . . I.
BIDPÂJI Fabulas, a' SACYO editas, die Veneris . . . . I.

A. RUTGERS MICHAE Vaticinia interpretabitur, diebus Lunae et Mercurii I.
Secundum SAMUELIS librum cursoria lectione tractabit, die Veneris I.

Antiquitates Israëlitarum explicabit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . XII.

P. HOFMAN PEERLKAMP et J. BAKE praeërunt disputandi exercitiis, diebus Mercurii . . . . III.

FACULTAS MEDICA.

G. SANDIFORT Anatomiam docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris . . . . horâ X.

Physiologiam, Anatome comparata illustratam, iisdem diebus, IX.

Methodum secandi cadavera, quotidie, hiberno tempore . . . III — V.

M. J. MACQUELYN Supellectilem Pharmaceuticam duce Pharmacopeâ Belgicâ explicare perget, et praecepta Diaetetica tradet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . VIII.

Doctrinam Indicationum Therapeuticarum docebit, et ad usum praecipuorum Remediorum applicabit, cum exercitatione in Nosocomio Academico, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . IX.

J. C. BROERS Theoriam disciplinae Chirurgicae exponet, singulis diebus XII.

Exercitationibus Clinicis, in Nosocomio Academico habendis, vacabit quotidie . . . . VIII.

Operationibus Chirurgicis hiberno tempore, horis dein indicandis.

Artem Obstetriciam Theoreticam et Practicam docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . X.

Medicinam Forensem, die Veneris . . . . I.

G. PRUYS VAN DER HOEVEN Pathologiam docebit, diebus Lunae, Mercurii et Veneris . . . . I.

Medicinam Practicam cum exercitatione in Nosocomio Academico, quotidie . . . . XI.

Historiam Medicinae tradet, diebus Martis et Jovis . . . . I.

M. J. MACQUELYN et G. PRUYS VAN DER HOEVEN disputandi exercitiis praeërunt, die Jovis . . . . III.

FACULTAS JURIDICA.

H. G. TYDEMAN Encyclopaediam Juris tradet, diebus Lunae, Martis et Mercurii	XII.
Oeconomiae Politicae principia, ad patriam nostram applicata, docebit, diebus Lunae et Veneris	I.
et die Jovis	XII.
Statisticam Patriae describet, diebus Martis, Mercurii et Jovis horâ	I.
Juris Mercatorii Belgici, ex novo Codice, Institutiones tradet, die Veneris	XI — I.
C. J. VAN ASSEN docebit JUSTINIANI Institutiones Juris Civilis, diebus Lunae et Mercurii	IX.
diebus Martis et Jovis	VIII.
Digestorum Libros, diebus Lunae, Mercurii et Veneris . . .	X.
GAJI Institutt. Commentarios, die Saturni	VIII.
Codicem Juris Civilis Neerlandi, diebus Lunae, Mercurii et Veneris	VIII.
Rem judiciariam cum exercitationibus forensibus, Jure Neerlando, die Martis	X.
die Jovis	X et XI.
H. COCK tradet Jus Naturale, diebus Lunae, Mercurii et Veneris .	VIII.
Jus Publicum et Gentium, diebus Lunae, Mercurii et Veneris	X.
Jus Criminale, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris	IX.
J. R. THORBECKE explicabit Historiam Juris Romani, diebus Martis, Jovis et Veneris	IX.
Historiam Europae diplomaticam a regno LUDOVICI XIV usque ad Congressum Viennensem, diebus Martis, Mercurii et Jovis . .	I.
Historiam Politicam et Juris Civilis Patriae nostrae, inde a CAROLO V usque ad obitum GUILIELMI II, diebus Lunae, Martis et Mercurii	XII.
Historicam tradet Legis Fundamentalis, cum aliis nostri aevi Legibus Fundamentalibus comparatae, interpretationem, diebus Lunae, Martis et Mercurii	XI.

FACULTAS THEOLOGICA.

J. CLARISSE selecta Theologiae Dogmaticae Capita tractabit, diebus Lunae et Mercurii	X.
Theologiae Moralis docebit partem generalem, diebus Lunae et Mercurii	XI.
Apologeticam tradet, diebus Martis et Jovis	X.
Suam Encyclopaediae Theologicae Epitomen selectis observationibus illustrabit, diebus Martis et Jovis	XI.
Excercitia Oratoriae Sacrae moderabitur, die Lunae	I.
W. A. VAN HENGEL Epist. Pauli ad Corinthios Cap. XV interpretabitur, diebus Lunae et Jovis	VIII.
Locos Novi Testamenti, qui diebus festis pro concione tractari solent, illustrabit, diebus Martis et Veneris	VIII.
Theologiam, quae dicitur, Pastoralem tradet, die Mercurii . .	VIII.
et Jovis	IX.
De praecipuis Theologiae Dogmaticae capitibus auditores interrogabit, die Veneris	IX.
Cum Theologiae studiosis provectioribus de variis rebus gravioris argumenti familiariter colloquetur, die Veneris	V sqq.
Oratoriae Sacrae exercitationibus praeërit, die Jovis	I.
N. C. KIST Historiam Ecclesiasticam docebit antiquam, diebus Lunae, Martis, et Mercurii	XII.
Dogmatum historiae loca selecta tractabit, die Jovis	XII.
et die Veneris	XI.
POLYCARPI ET BARNABAE *Epistolas*, apud Luchtmansios editas, explicabit, die Veneris	XII.
Exercitia disputandi, de quaestionibus argumenti potissimum Historico-Theologici, moderabitur, die Saturni	I.
Orationibus Sacris praeërit, die Martis	II.

FACULTAS DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

G. WTTEWAAL Oeconomiae politicae capita selecta interpretabitur, diebus Martis et Mercurii . . . . I.

Lectionibus de Agricultura et Re pecuaria vacabit, diebus Martis et Mercurii . . . . XII.

C. G. C. REINWARDT Chemiam universam theoreticam et experimentalem exponet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . XI.

Rei Herbariae fundamenta tradet, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . I.

Plantarum Historiam illustrabit, verno et aestivo tempore matutino, iisdem diebus et Jovis . . . . VII.

J. DE GELDER tradet Elementa Geometriae, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . VIII.

Trigonometriam rectilineam et sphaericam, ejusque usum in Astronomiâ et Arte navigandi, aliisque Disciplinis, provectioribus discipulis explicabit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis. X.

Calculum Differentialem et Integralem, diebus Lunae et Mercurii XII.

Mechanicam Analyticam, diebus Martis et Jovis . . . . . . XII.

Theoriam probabilitatis, quam vocant, et insignem ejus usum in vita civili tradet, quarum lectionum horas in commodum Auditorum constituet.

Philosophiae Theoreticae et Literarum humaniorum Candidatis Geometriam, et Arithmeticam universalem, initiis repetitis explicabit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . XI.

Partem Theoreticam et Practicam Paedagogices, ad disciplinas Mathematicas relatae, futuros Gymnasiorum Praeceptores docebit, horis deinceps indicandis.

P. J. UYLENBROEK Physicam docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . XII.

Arithmeticam Universalem sive Algebram explicabit, die Jovis I.
et Veneris . . . . VIII et I.

J. G. S. VAN BREDA Historiam naturalem, Anatome et Physiologia comparata Animalium, praesertim vertebratorum, illustratam, docebit, diebus Jovis et Veneris . . . . horâ XI.

Geologiam et Historiam Plantarum et Animalium fossilium tradet, diebus Jovis et Veneris . . . . XII.

J. VAN DER HOEVEN Anatomen et Physiologiam comparatam docebit diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . XI.

aestivo tempore . . . . X.

Zoologiam docebit diebus Martis et Jovis . . . . I.

Entomologiam aut aliam Zoologiae partem explicabit diebus et horis dein indicandis.

A. H. VAN DER BOON MESCH Chymiae doctrinam ejusque in artibus usum exponet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . IX.

Pharmacologiam Chymicam docebit, diebus Lunae et Mercurii XII.

Chymiam practicam et experimenta instituendi artem docebit, die Saturni . . . . V—VII.

P. O. VAN DER CHIJS, titulo Prof. extraord. ornatus, Numismaticam generalem tradere paratus est diebus et horis quae auditoribus convenient.

F. KAISER, Astronomiae Lector; Astronomiam Theoreticam docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . IX.

Astronomiam Practicam, iisdem diebus . . . . X.

Astronomiam, quam popularem vocant, die Martis, horâ vespertinâ . . . . VI.

Astronomiae popularis auditores, ad coelum, telescopii ope, perlustrandum, aptis temporibus vocabit.

Artis observandi exercitiis quotidie praeërit.

Si qui sint, qui theoriam motus corporum coelestium sibi explicari cupiant, in auditorum gratiam horas postea indicabit.

G. G. BRILL, Lector Germanicarum Litterarum, GOETHII tragoediam Iphigeniam interpretabitur, diebus Martis et Veneris, horâ post meridiem . . . . V.

Commilitonibus vero harum litterarum vel plane rudibus vel imperitioribus, singulis domi suae docendis, vacabit horis de quibus convenerit.

G. KNIPPENBERG, Academicus Artis Gladiatoriae Magister, aptum et elegantem gladii usum quotidie docebit.

Bibliotheca Academica, Lectionum tempore, diebus Lunae, Mercurii, Veneris et Saturni, ab horâ XII ad III; Feriarum tempore, diebus Mercurii et Saturni, ab horâ XII ad II, unicuique patebit.

SERIES

DISSERTATIONUM INAUGURALIUM

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

DEFENSARUM

a d. IX *Febr.* MDCCCXXXVIII *ad d.* VIII *Febr.* MDCCCXXXIX.

1838 d. 26 Februarii. Specimen Juridicum *de Procuratoribus Judicialibus* defensum ab HENRICO JANO GULIELMO VAN LAWICK VAN PABST, India-Batavo, pro Doctoratu Juris Romani.

d. 27 Februarii. Disputatio Juridica *de Modo Procedendi Ratione Probationum in causis civilibus* (*Jure Francico et Futuro Neerlandico*) defensa ab ABRAHAMO ANNAEO JACOBO CLANT, Hagano, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni, *cum laude.*

d. 28 Februarii. Disputatio Juridica *de Regula Juris: Locus regit Actum*, publice defensa ab HENRICO ALEXANDRO HARTOGH, Hagano, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni, *magna cum laude.*

d. 1 Martii. Dissertatio Historico-Literaria *de Jure Publico usque ad Ulricum Huberum*, defensa ab HARTOG HYMAN TELS, Roterodamensi, pro Philosophiae Theoreticae Magisterio et Literarum Humaniorum Doctoratu, *cum laude.*

eodem die. Dissertatio Philosophico-Juridica *de Meritis Ulrici Huberi in Jus Publicum Universale*, defensa ab HARTOG HYMAN TELS, Roterodamensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni, *magna cum laude.*

d. 7 Martii. Dissertatio *de Aurelio Augustino Adversario Donatistarum*, publice defensa ab ADRIANO ROUX, e Promontorio Bonae Spei, pro Doctoratu Theologiae, *magna cum laude.*

d. 15 Martii. Disputatio Medica *de Febribus Nervosis*, publice defensa a CORNELIO JANO LONCQ JUN., Roterodamensi, pro Doctoratu Medicinae, *cum laude.*

Q

1838 d. 19 Martii. Dissertatio Juridica *de Inventario secundum cod. civ. Francicum*, defensa a JOANNE VAN ELSBROEK, Neomago-Gelro, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni, *cum laude.*

d. 28 Martii. Disputatio Juridica *de Cura Legislatorum ut Hypothecae publice innotescant*, publice defensa ab JANO GUILIELMO VAN DER MEER DE WYS, Amstelodamensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni, *magna cum laude.*

eodem die. Disputatio Theologica *de Sectis Christianorum Corinthiensibus I Cor.* 1:12 *memoratis*, publice defensa a JANO PETRO VAN DER MEER DE WYS, Amstelodamensi, pro Doctoratu Theologiae, *magna cum laude.*

d. 4 Aprilis. Disputatio Philosophico-Literaria *de Diagora Melio*, defensa a DANIELE LUDOVICO MOUNIER, Roterodamensi, pro Philosophiae Theoreticae Magisterio et Literarum Humaniorum Doctoratu, *cum laude.*

d. 6 Aprilis. Dissertatio Juridica *de Juribus Secundarum Nuptiarum inprimis secundum Jus Hodiernum*, defensa a JOHANNE PETRO GERARDO MOORREES, India-Batavo, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni, *cum laude.*

d. 7 Aprilis. Dissertatio Medica *de Scorbuto*, defensa a JACOBO JOANNE OTT, Amstelodamensi, pro Doctoratu Medicinae, *cum laude.*

eodem die. Dissertatio Medica *de Morbo Maculoso Haemorrhagico Werlhovii*, defensa a FREDERICO GUILIELMO EGGERS, Amstelodamensi, pro Doctoratu Medicinae, *cum laude.*

d. 26 Aprilis. Disputatio Historico-Theologica *de Aurelio Augustino Apologeta*, secundum libros de civitate Dei, publice defensa a FRANCISCO CORNELIO JOANNE VAN GOENS, Hagano, pro Doctoratu Theologiae, *magna cum laude.*

d. 27 Aprilis. Dissertatio Historica et Literaria *de Cajo Mario Caji Marii Filio*, defensa ab HENRICO JANO HAZENBERG, Lugduno-Batavo, pro Philosophiae Theoreticae Magisterio et Literarum Humaniorum Doctoratu, *cum laude.*

d. 28 Aprilis. Specimen Geographico-Medicum *de Hispania et Insulis quibusdam maris Mediterranei*, publice defensum a JOHANNE FRE-

DERICO HOFFMANN, Goudano, pro Doctoratu Medicinae, *magna cum laude.*

1838 d. 10 Maji. Dissertatio Juridica *de Pactis Licitis et Illicitis in codice civili obviis*, publice defensa a DIDERICO VAN AKERLAKEN, Horna-West-Frisio, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni, *cum laude.*

d. 11 Maji. Disputatio Juridica *de Napoleonte Legislatore et Jurisconsulto*, publice defensa ab ALLARDO JOSUA SWART, Amstelodamensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni, *magna cum laude.*

d. 14 Maji. Dissertatio Juridica *de Sponsalibus*, publice defensa ab ARIO PRINS, Schiedamensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni, *cum laude.*

d. 19 Maji. Dissertatio Medica *de Sydenhamo in Morbis curandis Naturae Imitatore*, defensa a NICOLAO ROVERS, Dordraco-Batavo, pro Doctoratu Medicinae, *cum laude.*

d. 23 Maji. Dissertatio Medica *de Angina Membranacea sive Polyposa*, defensa a JACOBO HAZENBERG, Lugduno-Batavo, pro Doctoratu Medicinae.

d. 26 Maji. Dissertatio Juridica *de Crimine Falsi*, defensa a LEONARDO GERARDO VERNÉE, Delphis-Batavo, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni, *cum laude.*

d. 29 Maji. Dissertatio Juridica *de Carcere in causis civilibus et de methodo Procedendi secundum Jus Francicum*, defensa a JOHANNE LEONARDO KLAVERWYDEN, ex Pago Soeterwoude, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni, *cum laude.*

d. 6 Junii. Dissertatio Juridica *de Redemtione Alienarum Litium et Constitutione Anastasiana, secundum Placita Juris Romani*, publice defensa ab ISAÄCO HEILBRON, Amstelodamensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni, *cum laude.*

d. 7 Junii. Dissertatio Medica *de Diosma Crenata*, defensa ab ABRAHAMO FREDERICO ANASTASIO BRUINSMA, Leovardia-Frisio, pro Doctoratu Medicinae.

d. 18 Junii. Dissertatio Juridica *de Praescriptionibus secundum Jus Civile novissimum Neerlandum*, defensa a JOANNE BERNARDO VAN

DER VEN, Roterodamensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni, *cum laude*.

1838 d. 18 Junii. Dissertatio Juridica *de Effectu emtionis Venditionis Rei alienae, Jure Francico*, defensa a GUILIELMO FREDERICO CAROLO VAN LITH DE JEUDE, Tiela-Gelro, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni, *cum laude*.

d. 20 Junii. Disputatio Medica sistens *quaedam annotationes et observationes de Variolis*, defensa a GUSTAVO EDUARDO VOORHELM SCHNEEVOOGT, Harlemensi, pro Doctoratu Medicinae, *cum laude*.

d. 21 Junii. Specimen Medicum *de Pulsu ejusque ratione in quibusdam Inflammationibus*, defensum ab ASSELINO JOHANNE TYL, pro Doctoratu Medicinae, *cum laude*.

eodem die. Specimen Medicum *de Retrocessione quae dicitur Morborum*, defensum a PETRO LUDOVICO HENRICO KRUYFF, Delfshavensi, pro Doctoratu Medicinae, *cum laude*.

d. 22 Junii. Dissertatio Medica *de Aphthis Adultorum*, defensa a JACOBO VAN RENESSE, Hagano, pro Doctoratu Medicinae, *cum laude*.

d. 25 Junii. Dissertatio Medica *de Neonatorum Aphthis sive stomatitide folliculosa*, publice defensa a STEPHANO CRAMER, Demerariensi, pro Doctoratu Medicinae, *cum laude*.

eodem die. Dissertatio Chymica *de Analysi Chymica qua partis plantarum et animalium remotae cognoscuntur*, publice defensa a JOANNE ELISA DE VRY, Roterodamensi, pro Matheseos Magisterio et Philosophiae Naturalis Doctoratu, *cum laude*.

eodem die. Dissertatio Juridica *de Muris, fossis et sepibus intermediis secundum codicem civilem Francicum et novum Belgicum*, defensa a CHRISTIANO SLICHTENBREE, Daventriensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni, *magna cum laude*.

d. 26 Junii. Disputatio Obstetricio-Medica *de Indicatione difficili in Dystoria ex Pelvi nimis angusta*, defensa a LEHMANNO JACOBO HANAU, Amstelodamensi, pro Doctoratu Medicinae, *magna cum laude*.

eodem die. Dissertatio Juridica *de Consociatione Maleficiorum*, defensa a PHILIPPO JACOBO VAN PALLANDT, ex Pago Sassenheim, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

1838 d. 26 Junii. Dissertatio Oeconomico-Politica *de Industria Technica ope Technicarum Scholarum in Patria nostra promovenda*, publice defensa ab AUGUSTO JOHANNE HOUCK, Daventriensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni, *magna cum laude.*

eodem die. Dissertatio Juridica *de Homicidio Voluntario*, defensa a GUILIELMO PHILIPPO TEDING VAN BERKHOUT, Harlemensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni, *cum laude.*

die 27 Junii. Dissertatio Medico-Chirurgica *de fungo medullari in genere et de fungo medullari renum in specie, quibus accedunt hujus mali observationes*, defensa a HUBERTO GUILIELMO VAN RHYN, ex pago Zwammerdam, pro Doctoratu Medicinae, *magna cum laude.*

eodem die. Dissertatio Historico-Politica *de Administratione Possessionum Batavarum in India Orientali ex legibus fundamentalibus Anni* 1798, 1801, 1805 et 1806, defensa ab ADOLPHO BLUSSÉ, Dordraco-Batavo, pro Doctoratu Juris Romani atque Hodierni, *cum laude.*

eodem die. Specimen Juridicum *de Testamento Holographo Jure Gallico et Jure Neerlandico*, defensum ab HENDRICO FRANCISCO VAN DEN BERGH, Hagano, pro Doctoratu Juris Romani atque Hodierni, *cum laude.*

die 28 Junii. Dissertatio Juridica *de Donationibus inter virum et uxorem confirmandis ex oratione Antonini Caracallae*, defensa a CORNELIO GUILIELMO SOEK, Delphensi, pro Doctoratu Juris Romani atque Hodierni, *cum laude.*

eodem die. Specimen Medicum *de Tuberculis cerebri*, publice defensum a LUDOVICO CHRISTIANO ALBERTO VON GEBAUER, Chir. Mil. sec. ord. Roterodamensi, pro Doctoratu Medicinae, *magna cum laude.*

eodem die. Specimen Juridicum *de Indignis qui succedant Jure Gallico cum Jure Romano et Novo Belgico comparato*, defensum a CORNELIO VAN FOREEST, Alcmariensi, pro Doctoratu Juris Romani atque Hodierni, *cum laude.*

die 29 Junii. Dissertatio Juridica *de causis ob quas excusantur, nec non de iis ob quas prohibentur aut removentur Tutores; ex principiis Juris Gallici et Juris Neerlandici*, defensa a FRANCISCO GERARDO NIEUWENHUIS, Zutphaniensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni, *cum laude.*

1838 d. 29 Junii. Specimen Medico-Chirurgicum *de Contractura Digitorum*, defensum a HENRICO HUBERTO BATTA, Mosae-Trajectino, pro Doctoratu Medicinae, *magna cum laude*.

eodem die. Dissertatio Historico-Politica *de Novo Belgio, Colonia quondam Nostratium*, defensa a DANIELE FRANCISCO VAN ALPHEN, Londinensi, pro Doctoratu Juris Romani atque Hodierni.

eodem die. Dissertatio Juridica *de Graphiario*, defensa a CASPARO EVERHARDO KNIPHORST, Assena-Drentino, pro Doctoratu Juris Romani atque Hodierni, *cum laude*.

die 30 Junii. Dissertatio Juridica continens *Quasdam Quaestiones Juris*, defensa a JANO PETRO TEDING VAN BERKHOUT, Harlemensi, pro Doctoratu Juris Romani atque Hodierni, *cum laude*.

eodem die. Dissertatio Obstetricio-Medica *de Metrorrhagia Gravidarum*, publice defensa ab ANTONIO DYXHOORN, Roterodamensi, pro Doctoratu Medicinae, *cum laude*.

eodem die. Dissertatio Chirurgico-Medica *de Fistulis Urinariis Virorum*, publice defensa a GEORGIO LUDOVICO FUHRI, Roterodamensi, pro Doctoratu Medicinae, *cum laude*.

eodem die. Specimen Juridicum *de Jure Emphyteuseos*, defensum a JOANNE GUILIELMO DE BRUYN, Medioburgensi, pro Doctoratu Juris Romani atque Hodierni, *cum laude*.

eodem die. Disputatio Historico-Politica continens *Historiam Collegii consiliariorum commissorum (gecommitteerde Raden) in Hollandia et Westfrisia*, publice defensa a CORNELIO ABRAHAMO JEREMIA BEELAERTS VAN BLOKLAND, e Promontorio Bonae Spei., pro Doctoratu Juris Romani atque Hodierni, *cum laude*.

die 18 Sept. Specimen Juridicum *de Praecipuis differentiis Juris Francici et Neerlandici*, defensum a GUILIELMO WINTGENS, Haga-Batavo, pro Doctoratu Juris Romani atque Hodierni, *cum laude*.

die 20 Sept. Dissertatio Historico-Politica, continens *Historiam Marchionatus Verae et Vlissingae*, publice defensa a JANO PAULO THEODORO CAU, Lugduno-Batavo, pro Doctoratu Juris Romani atque Hodierni, *magna cum laude*.

die 24 Sept. Specimen Literarium continens *in Q. Tullii Ciceronis de Petitione Consulatus librum Adnotationem*, publice defensum

a JANO GUILIELMO TYDEMAN, Lugduno-Batavo, pro Philosophiae Theoreticae Magisterio et Literarum Humaniorum Doctoratu, *magna cum laude.*

1838 d. 24 Sept. Disquisitio Juridico-Politica *de Oeconomiae Politicae Notionibus in corpore Juris Civilis Justinianeo*, publice defensa a JANO GUILIELMO TYDEMAN, Lugduno-Batavo, pro Doctoratu Juris Romani atque Hodierni, *magna cum laude.*

die 29 Sept. Disputatio *de Christianorum Vexatione Deciana*, publice defensa a TACONE HAYONE VAN DEN HONERT, Amstelodamensi, pro Doctoratu Theologiae, *magna cum laude.*

eodem die. Dissertatio Juridica *de exceptionibus Declinatoriis*, defensa a FERDINANDO LUDOVICO WILLEKES MACDONALD, Harlemensi, pro Doctoratu Juris Romani atque Hodierni, *cum laude.*

die 15 Oct. Dissertatio Juridica *de Concilio Familiae ex Cod. Nap. collato Jure Neerlandico*, defensa a CAROLO AUGUSTO NAIRAC, Daventriensi, pro Doctoratu Juris Romani atque Hodierni, *cum laude.*

die 19 Oct. Disputatio Historico-Theologica *de Bedae Venerabilis Presbyteri Anglo-Saxonis Vita et Scriptis*, defensa ab HENRICO GEHLE, Harlemensi, in Ecclesia Londino-Belgica V. D. M. pro Doctoratu Theologiae, *magna cum laude.*

die 20 Oct. Dissertatio Medica *de Tussi convulsiva*, defensa a HENRICO JOANNE HENSTERMAN, ex Pago Sassenheim Hollando, pro Doctoratu Medicinae, *cum laude.*

die 25 Oct. Dissertatio Juridica *de Usu et Habitatione ex principiis Codicis Juris Francici Civilis et Juris Neerlandi*, defensa a PAULO BOOGAERT, Medioburgensi, pro Doctoratu Juris Romani atque Hodierni, *cum laude.*

eodem die. Dissertatio Medica *de Pericarditide*, defensa a HERMANO ROYER, Curassaviensi, pro Doctoratu Medicinae, *magna cum laude.*

die 26 Oct. Dissertatio Medica *de Cynanche Tracheali*, defensa a ROBERTO GRAY MAYNE, Glasgovensi pro Doctoratu Medicinae.

die 29 Oct. Specimen *de Parte Bonorum, de qua in favorem conjugis disponere licitum est, secundum Jus Francicum et Neerlandicum*, defensum a MAXIMILIANO ANNEO MICHAELE 'S GRAVESANDE GUICHERIT, Delphis-Batavo, pro Doctoratu Juris Romani atque Hodierni, *cum laude.*

1838 die 5 Nov. Dissertatio Juridica *de Auctoritate, Juribus et Obligationibus cognatorum collateralium e Jure Neerlando collato cum Jure Francico*, defensa a RUDOLPHO BINKES, Bolsverda-Frisio, pro Doctoratu Juris Romani atque Hodierni, *cum laude.*

die 7 Nov. Dissertatio Medica *de Venaesectionis efficacitate in Partum*, defensa a CORNELIO HENRICO VAN DER LOOY CORN. FIL., Roterodamensi, pro Doctoratu Medicinae, *cum laude.*

die 9 Nov. Dissertatio Medica *de Exantemate Lupo dicto*, defensa a HERMANO PHILIPPO POLYN BUCHNER, Goudano, pro Doctoratu Medicinae, *cum laude.*

die 10 Nov. Dissertatio Medica sistens *Observationes de Hepatitide Chronica*, publice defensa a JOHANNE MATHIA RICHELLE, Udenensi, pro Doctoratu Medicinae, *cum laude.*

die 12 Nov. Dissertatio Medico-Chirurgica *de Morbis Mammarum*, publice defensa a HERMANO LÜHRMAN, Lugduno-Batavo, pro Doctoratu Medicinae, *magna cum laude.*

die 19 Nov. Specimen Juridicum *de Teste in Testamento*, defensum a MARTENIO GUILIELMO VAN DER JAGT, Hagano, pro Doctoratu Juris Romani atque Hodierni, *cum laude.*

die 23 Nov. Dissertatio Juridica *de Damno et Interesse in contractibus, secundum Jus Francicum*, defensa a MENSONO ALTINGO KRONENBERG, Daventria-Transisalano, pro Doctoratu Juris Romani atque Hodierni, *cum laude.*

die 26 Nov. Dissertatio Medica *de Narium Haemorrhagia*, defensa a CORNELIO SWAVING, Zaandamo-Hollando, pro Doctoratu Medicinae, *cum laude.*

die 17 Dec. Dissertatio Iuris Publici *de Triade Politica Imperii lege nostra non recepta*, publice defensa a GERHARDO DAVIDE JORDENS, Daventria-Transisalano, pro Doctoratu Juris Romani atque Hodierni, *magna cum laude.*

die 18 Dec. Specimen Oeconomico-Politicum, quo continentur *Nonnulla de Re Argentaria in Urbe Amstelaedami*, defensum a GERARDO WILLINK, Amstelaedamensi, pro Doctoratu Juris Romani atque Hodierni, *cum laude.*

die 21 Dec. Dissertatio Juridica *de praecipuis mutationibus in succes-*

sionem legitimam codice Neerlando introductis, defensa a NANNINGO DE VICQ, Horna-Westfrisio, pro Doctoratu Juris Romani atque Hodierni.

1838 die 22 Dec. Specimen Juridicum *de Vulneribus et Plagis Voluntariis a mordro diversis*, defensum a JOHANNE ANDREA FRÜTER, e Promontorio Bonae Spei, pro Doctoratu Juris Romani atque Hodierni, *cum laude.*

eodem die. Dissertatio Juridica *de Furto Domestico*, defensa ab ARENTIO GUILIELMO DRABBE, Hagano, pro Doctoratu Juris Romani atque Hodierni, *cum laude.*

die 29 Dec. Specimen Juridicum *de Appellationibus secundum Jus Romanum*, defensum a DIDERICO HOOLA VAN NOOTEN, Demerariensi, pro Doctoratu Juris Romani.

1839 die 21 Jan. Dissertatio Juridica continens *annotationem ad Hug. Grotii Introduct. ad Jurisprud. Holl. Lib. I. Part XIII. de Incolis et Peregrinis*, defensa a JOHANNE HENRICO EGGERS, Amstelaedamensi, pro Doctoratu Juris Romani atque Hodierni, *cum laude.*

die 2 Febr. Dissertatio Historico-Oeconomico-Politica *de Batavorum Mercatura Levantica*, defensa a DIDERICO WERNARDO CANNEMAN, Amstelaedamensi, pro Doctoratu Juris Romani atque Hodierni, *magna cum laude.*

die 4 Febr. Dissertatio Juridica *de Requesto (Q. D.) Civili, secundum Juris Francici principia*, defensa a JACOBO CORNELIO PAULO VAN HOGENDORP, ex pago Bennekom Gelro, pro Doctoratu Juris Romani atque Hodierni, *cum laude.*

die 7 Febr. Dissertatio Juridica *de Mandato*, defensa a ROBERTO HENRICO ARNTZENIUS, Harlemensi, pro Doctoratu Juris Romani.

NUMERUS ADOLESCENTIUM

IN ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE ALBO

INSCRIPTORUM DIE 31 DECEMBRIS MDCCCXXXVIII.

IN FACULTATE PHIL. THEOR. ET LITT. HUMAN.	IN FACULTATE MEDICA.	IN FACULTATE JURIDICA.	IN FACULTATE THEOLOGICA.	IN FACULTATE DISCIPLIN. MATHEM. ET PHYSIC.
40	190	271	132	8

In hunc numerum 641 adolescentium recepti sunt 146, quorum
14 in Facultate Phil. Theor. et Litt. Hum.
29 in Facultate Medica.
57 in Facultate Juridica.
46 in Facultate Theologica.

qui nomina in Albo professi sunt, eo tantum consilio ut hic examinarentur, ceterum in diversis Athenaeis versantur.

JUDICIA FACULTATUM

DE COMMENTATIONIBUS, CERTAMINIS INEUNDI CAUSA HOC ANNO AD SE PERLATIS,

AB ACTUARIO RECITATA

DIE VIII FEBRUARII MDCCCXXXIX.

I.

JUDICIUM ORDINIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

E Philosophiae disciplina haec posita fuerat quaestio:
« Quamnam operam Graeci Philosophi posuerunt in loco Philosophiae moralis, qui est de consolatione? Quaenam in eorum libris consolatoriis prodita sunt argumenta rationesque consolandi? quantumque his tribuendum est? »

Duae allatae sunt commentationes. Harum altera inscripta erat, indicis loco, his Xenophontis verbis: ἡ ἐρώτησις διδασκαλία ἐστί. Visa est non contemnendae eruditionis, sed pleraque continens a quaestione aliena: neque enim postulabatur conspectus Historiae Philosophiae. Proprium autem quaestionis argumentum aut prorsus neglectum, aut tam leviter tamquam a limine salutatum, ut Ordo censuerit plane non responsum esse id quod explicandum proposuerat.

Altera commentatio inscripta erat verbis his Euphrantis apud Stobaeum: ὦ φιλοσοφία, τυραννικά σου τὰ ἐπιτάγματα cet. — Multo major in hac cernebatur diligentia et eruditio, eratque praeterea satis bene Latine scripta. Hisce laudibus reliqua si respondissent, non dubitandum videbatur, quin palma certaminis hujus commentationis scriptori tribuenda esset. Sed lapsus est in *methodo*, neque satis tenere se ostendit artem esse philosophandi, quae rite et poneret quaestionem et definiret et divideret: sine quibus nullam disputatio-

nem ad exitum ritc perduci posse. Veluti in *Prima Parte*, uno capite egit de consolationibus quae ad mortem pertinent, altero de reliquis omnibus. Et in iis ipsis complura desiderantur. — Tum in *Secunda Parte* neglexit constituere qua ratione *notio mali*, dolentis animo infixa, mutetur et nocendi vim amittat: quo demum constituto reperire potuisset non varia, sed diversa, genera consolandi, deque singulis judicare potuisset.

Nihilominus tam eximia hujus scriptionis bona visa sunt, ut decreverit Ordo publice scriptoris laudes praedicare. Itaque invitatus prodidit se esse

ANDREAM CORNELIUM VAN HEUSDE
Litt. Human. Studiosum in Academia Rheno-Trajectina.

E Litteris haec posita erat quaestio:

« Codicis Hebraei bene interpretandi periculum fiat in carmine quod Debōra et Barācus cecinisse Judicum C. V. c. v. sqq. leguntur. »

Ad hanc unus tantum oblata commentatione respondit, neque huic etiam praemium decerni posse Ordo judicavit. Quamvis enim illius scriptio duabus se virtutibus commendaret, perspicuitate et pura oratione Latina, reliquis tamen, quae certe hîc non minora habenda erant, postulatis tam parum satisfecit, ut non nisi modica laus, quantum ad incitandum diligentem bonaeque spei juvenem satis esset, ei in praesenti deberi videretur. Cum enim ad justam quarumvis litterarum interpretationem, praeter ingenii acumen judiciique firmitatem et prudentiam, inprimis requirantur accurata linguae cognitio et subsidiorum criticorum idoneus usus, ab hac utraque parte virium suarum imbecillitatem nimium in modum commentationis scriptor prodidit. Grammaticam Hebraeam laudabiliter quidem studuit ex optimis operibus perdiscere, sed tirocinium in eâ arte nondum se posuisse, passim errores, plane non excusandi, arguunt: usum linguae tum in verborum vocabulorumque potestate, tum in illorum conjunctione et collocatione, non ita, ut in praesenti hujus disciplinae luce jam nemini difficile est, cognitum habuit; et obsoletas fastidiique plenas etymologias saepissime ibi adduxit, ubi aeriter ipsum locum intueri similesque locos con-

ferre et explicare, unicum fuisset ad veram alicujus verbi vim intelligendam adjumentum: quo factum, ut haud raro in ridicula interpretatione, dudum ab aliis proposita, acquieverit, nec viderit eam aut communi sensui esse contrariam, aut perspicuis certissimisque dictionis Hebraeorum legibus. Et quod ad criticorum subsidiorum usum attinet, id quidem scriptor praestitit, ut singula cola quomodo a veteribus interpretibus conversa essent, et quâ verborum discrepantia in MSS. codicibus offerrentur, accurate plerumque indicaret, verum neque in antecessum exposuit, quae esset utilitas veterum istarum versionum in *hoc* potissimum loco conferendarum, et quantum ponderis singulis earum, aut tanquam primariis aut tanquam secundariis ad lectionem stabiliendam auctoritatibus, *hic* tribuendum videretur; nec in ipso etiam commentario docte satis et prudenter lectionis diversitatem, ubicunque offerebatur, explicuit, et in suum usum ad corruptum textum emendandum adhibuit. Quibus praeterea hoc quoque accessit quod ad proprias Hebraeae *poëseos* leges multo minus quam oportet animum attendens, et inprimis, quod aequalitatem, in diversis orationis membris et articulis conspicuam, plane negligens, multa quae tum facile perspexisset aut in integrum restituere potuisset, nunc obscura miserrimumque in modum interpolata reliquerit. Quare, cum Ordo, hanc quaestionem ponens, illud a Juvenibus postulasset, non ut omnes istius difficilioris loci nodos expedirent, sed ut ostenderent eâ se incedere Hebraei Codicis interpretandi regia via, ut nunc jam difficultates *sentire* didicissent, et mox illis (non caute declinandis et defugiendis) sed strenue feliciterque superandis pares futuri essent, acceptam commentationem praemio quidem ornare non potuit, sed scriptorem tamen publice laudandum censuit, ut ad studia diligenter persequenda et ad majores in litteris Orientalibus progressus faciendos, honorifice eum adhortaretur et incitaret. Jam enim abunde probavit Ordini, si intentam operam dare non intermiserit, se bonum olim Hebraei Codicis interpretem futurum esse. Diariis igitur publicis ad nomen palam faciendum invitatus, litteris ad Ordinem missis scriptorem se professus est

HERMANNUS HENRICUS KEMINK,
Litt. Hum. Stud. in Acad. Rheno-Trajectina.

II.

JUDICIUM ORDINIS MEDICORUM.

Ad Quaestionem Medicam:

« Quales Theorias experimentis illustratas divulgarunt Anatomici et Physiologi, inde ab initio hujus seculi, circa structuram et functionem Nervorum? »

duae ad Ordinem Medicorum responsiones missae sunt: utraque suis dotibus laudibusque insignis. Altera, quae Horatianis illis: «*Versatur urna*» caet. inscribitur, Neurologiae incrementa hoc seculo, quatenus Anatomen et Physiologiam corporis humani attinet, diligenter admodum indicavit, atque copiose tum de auctorum sententiis exposuit, tum singula experimenta tradidit et ad peculiaria etiam loca descendit.

Altera, cui Scarpae verba praeposita sunt: «*Physiologia autem*» caet. comparatam etiam Anatomen et Physiologiam complexa est, praeterea chemicas analyses et microscopicas observationes, novaque inventa suo quaevis loco commemoravit; atque experimentorum summam brevi in conspectu posuit: et quamvis neutra stilo bene Latino conscripta sit, tamen hac etiam dote haec priori non inferior est.

Quapropter judicavit Ordo huic praemium aureum, alteri honorificam commemorationem tribuendam esse.

Apertâ schedulâ alterius commentationis, Scarpae verbis insignis, auctorem se declaravit

JOHANNES LUDOVICUS SCHLIMMER,
Medicinae in Academia Lugduno-Batava Stud.

cui vero praemium aureum porrigi non potuit, siquidem ex Decretis Regiis ei concessum non erat hoc certamen Litterarium inire.

Prioris commentationis auctorem se per Litteras ad Ordinem Medicorum datas professus est

JOHANNES GOLDSCHMID NANNINGA,
Math. et Phil. Natur. Cand. Medic. Stud. in Acad. Groningana.

III.

JUDICIUM ORDINIS JURECONSULTORUM.

Ad Quaestionem Juridicam:

« Exponatur Historia introducti in provincias, quas deinceps Respublica Belgii Uniti comprehendit, Juris Romani. »

Ordini Jureconsultorum duae oblatae sunt responsiones, altera Senecae verbis inscripta: «*tutius sibi nihil*» cet. altera Kemperi: «*Onder de banieren der verlichting*» cet.

Prioris opusculi auctor argumenti terminos non recte posuit, et ad quaestionem, levius ab ipso tractatam, minus, quam decebat, paratus accessit.

Quae illi deesse videtur operae navatae assiduitas, insignis est in altera scriptione, quamquam et in hac plura desiderantur. Prisca Juris apud nostrates conditione non accurate perspecta, auctor nec praecipuae causae, quae fora nostra Juri Romano aperuit, vim plene cepit, nec variorum modorum, quibus hoc in varias Juris Belgici partes receptum est, sat distinctam rationem habuit. Praestant vero in hac commentatione tanta, eaque bene distributa, doctrinae copia, diligentia et in disquirendo judicium, ut eam Ordo praemio dignam censuerit. Auctorem se Ordini egregie probavit

GERARDUS DE VRIES ABRAH. FIL.
Jur. in hac. Acad. Cand.

IV.

JUDICIUM ORDINIS THEOLOGORUM.

Ad Quaestionem:

« Montanismi in Occidentem translati indoles et in Ecclesiam Latinam effectus exponantur. »

una Ordini oblata est responsio, charta rosei coloris scripta, et symbolo insignita arabico

لا حول ولا قوة إلا بالله

nec tamen intus habens, quam prae se fert, sive elegantiam sive doctrinam.

Ejusmodi enim illam esse vidit Facultas, ut, si vel accuratiorem longe uberioremque exhibuisset propositi argumenti pertractationem, neque tot numero in ea occurrissent indicia, auctorem ipsam quaestionis vim non bene percepisse, nec satis rite instructum respondentis vices eum suscepisse, jam latinitas barbara plane, grammatica adeo, quibus scatet, vitia prohibuissent, quominus sive praemio sive laude posset ornari.

V.

JUDICIUM ORDINIS DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

Ad Quaestionem e Chymia:

> « Quandoquidem Chymici plurimum dissentiunt de Salium ordine rite constituendo et definiendo, neque de communi quodam definitionis principio conveniunt, ita ut nunc latiori sensu majorem, nunc strictiori minorem, corporum diversorum numerum Salium titulo comprehendant: quaeritur expositio accurata et examen criticum opinionum de Salium natura et definitione; dein inquiratur et dijudicetur e quo maxime probabili generali principio et charactere Salium natura cognoscatur et definiatur. »

una Ordini tradita est commentatio, signata his verbis Baglivii: « *Natura enim* » cet. Qua in commentatione quum quaestionis argumentum diligenter et docte pertractatum sit, atque auctor peritiam in Chymicis haud vulgarem et judicii acumen egregie probaverit, huic responsioni, etsi sermone minus commendetur, praemium adjudicandum esse non dubitavit cl. Ordo.

Apertâ schedulâ, nomen auctoris prodiit

SAMUELIS EMANUELIS SARPHATI,

Med. in Acad. Lugd. Bat. Cand.

qui dein, instituto publico examine, se hujus commentationis scriptorem esse probavit.

De Quaestione Mathematica nulla commentatio ad Facultatem perlata est.

ACADEMIA

RHENO-TRAJECTINA.

S

NOMINA PROFESSORUM ET LECTORUM,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA.

Inde a die XXVI *m. Martii a.* CIƆIƆCCCXXXVIII,

usque ad diem XXVI *m. Martii a.* CIƆIƆCCCXXXIX,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA DOCUERUNT.

MATHESIN ET PHILOSOPHIAM NATURALEM.

NICOLAUS CORNELIUS DE FREMERY.
JOHANNES FREDERICUS LUDOVICUS SCHRÖDER.
JANUS KOPS, propter aetatem septuagenariam honorifice rude donatus.
THEODORUS GERARDUS VAN LIDT DE JEUDE.
PETRUS JOANNES ISAÄCUS DE FREMERY, Prof. extraord.
RICHARDUS VAN REES, h. t. Acad. Rector.
CORNELIUS ADRIANUS BERGSMA.

THEOLOGIAM.

JODOCUS HERINGA, E. F., propter aetatem septuagenariam honorifice rude donatus.
HERMANNUS BOUMAN.
HERMANNUS JOHANNES ROYAARDS.
HENRICUS EGBERTUS VINKE.

JURISPRUDENTIAM.

HERMANNUS ARNTZENIUS, propter aetatem septuagenariam honorifice rude donatus.
JANUS RICHARDUS DE BRUEYS.
ADRIANUS CATHARINUS HOLTIUS.
JANUS ACKERSDYCK, Prof. extraord.
JOANNES MICHAELIS FRANCISCUS BIRNBAUM.

MEDICINAM.

JANUS BLEULAND, hoc anno vertente mortuus.
NICOLAUS CORNELIUS DE FREMERY.
BERNARDUS FRANCISCUS SUERMAN.
JANUS ISAÄCUS WOLTERBEEK.
JACOBUS LUDOVICUS CONRADUS SCHROEDER VAN DER KOLK.

PHILOSOPHIAM THEORETICAM ET LITERAS HUMANIORES.

PHILIPPUS GUILIELMUS VAN HEUSDE.
ANTONIUS VAN GOUDOEVER.
LUDOVICUS GERARDUS VISSCHER, h. t. Senatus Acad. Graphiarius.
JACOBUS CORNELIUS SWYGHUISEN GROENEWOUD.

LECTORES.

SAMUEL NYHOFF, Linguae Graecae.
GERARDUS DORN SEIFFEN, Literarum Humaniorum.
CAROLUS THOMPSON, Literarum Anglicarum.
JUSTUS HENRICUS KOCH, Linguae Germanicae.
GEORGIUS CAROLUS VERENET, Literarum Gallicarum.

MAGISTER ACADEMICUS.

LAMBERTUS DE FRANCE, Artis Gladiatoriae.

RICHARDI VAN REES

ORATIO

DE

JANO BLEULANDO,

HABITA

DIE XXVI M. MARTII A. MDCCCXXXIX,

CUM ACADEMIAE REGUNDAE MUNUS

SOLENNI RITU DEPONERET.

ACADEMIAE RHENO-TRAJECTINAE CURATORES, VIRI AMPLISSIMI!

ET QUI CURATORUM COLLEGIO AB ACTIS ES, VIR CONSULTISSIME!

ARTIUM ET DISCIPLINARUM PROFESSORES VIRI CLARISSIMI, COLLEGAE CONJUNCTISSIMI!

QUI IN REGNO BELGICO, IN REGIONE TRAJECTINA ET IN HAC URBE REBUS PUBLICIS ADMINISTRANDIS VEL JUSTITIAE TUENDAE PRAEESTIS, VIRI GRAVISSIMI!

DIVINORUM ORACULORUM INTERPRETES DOCTISSIMI, PLURIMUM VENERANDI!

QUARUMVIS DISCIPLINARUM DOCTORES VIRI CONSULTISSIMI, PERITISSIMI!

HUJUS ACADEMIAE CIVES, JUVENES EXOPTATISSIMI!

QUOTQUOT PRAETEREA ADESTIS, CIVES, HOSPITES, SUO QUIQUE LOCO HONORANDI!

Quum, ad finem vergente Magistratu meo Academico, ad hunc diem celebrandum me accingerem, quo solenni oratione Rectoris munus successori sum traditurus, atque prospera et adversa, quae exacto anno accidissent, animo volverem, continuo menti obversabatur BLEULANDI, Academiae nostrae Nestoris, recordatio. Non inexspectatus quidem fuit venerabilis senis obitus, neque acerbum illum dolorem intulit quo praegresso anno angebamur nuntiata MOLLII morte, aetatis vigore a nobis erepti. BLEULANDUS enim ad eum pervenit, quem pauci assequuntur, vitae terminum, neque nos reliquit antequam omne id, quod ingenium et vires sinerent, Academiae et disciplinae suae praestitisset. At tamen bonis omnibus luctuosus fuit viri obitus. Venerabamur enim omnes et amore prosequebamur affabilem senem, qui per longam annorum seriem Academiae fuit ornamentum, quique condito Museo anatomico, suam laudem firmissimo nexu cum Academiae decore conjunxit.

Quo magis reputabam et inquirendo cognoscebam, quot quantaque praestiterit BLEULANDUS, eo facilius mihi persuadebam, me hac hora vestrae exspectationi non plane defuturum si, missa alia orationis materia, BLEULANDI vitam literatam paucis adumbrarem. Hoc argumentum neque a persona mea alienum duxi, cui, dum in medicinae studia incumberem, BLEULANDI institutione frui contigit, neque a diei hujus solennitate, memorandis Academiae fatis dicati. Vos igitur, Auditores Humanissimi, ut mihi, de BLEULANDO dicenti, faciles praebeatis aures, atque oratorem in dicendo parum exercitatum benevolentia vestra sublevetis, enixe rogo.

Natus est JANUS BLEULANDUS Goudae, anno praecedentis seculi quinquagesimo sexto. Pater, qui ibi architecti munere fungebatur, egregias ingenii dotes

T

in filio animadvertens, eum ad altiora studia destinavit. Itaque eum in urbe patria iis disciplinis instrui curavit, quibus tenera aetas ad humanitatem informari solet. Hisce absolutis, quum BLEULANDUS patri nondum satis provectus videretur, ut ad Academiam accederet, per duos annos in officina pharmacopolae degit, ibique primas historiae naturalis et chemiae notitias sibi comparavit. Tandem, annos natus octodecim, Lugdunum Batavorum adiit et medicinae studium aggressus est, ad quod et animi motu ferebatur et exemplo avunculi CORNELII BLEULANDI, inter Goudanos Chirurgi et Obstetricatoris expertissimi.

Egregie tunc temporis BOERHAVIANAE scholae laudem et gloriam in Academia Lugduno-Batava sustinebant Viri Celeberrimi ALBINUS, BERNARDI SIEGFRIEDI frater; SANDIFORTIUS, DOEVERENUS, HAHNIUS, quibus postea accessit NICOLAUS GEORGIUS OOSTERDYKIUS. Neque mirum, horum virorum institutione generosum BLEULANDI animum summopere delectatum fuisse, eumque tanto ardore in studia incubuisse, ut brevi inter commilitones emineret et, praeceptoribus acceptissimus, in eorum familiaritatem admitteretur. Praecipue alliciebat eum fabricae corporis humani indagatio, quae in schola BOERHAVIANA, mechanicae in phaenomenis vitalibus explicandis rationi addicta, merito totius medicinae rationalis fundamentum habebatur. Postquam per aliquod tempus anatomicis lectionibus auditor interfuerat, licuit ei ultra biennium privatis SANDIFORTII de methodo dissecandi institutionibus uti. Prout gradatim ad subtiliores praeparationes ducebatur, crescebat simul cum admiratione artificiosae corporis structurae, hanc interius pernoscendi desiderium; neque sane illud minuebatur, quum, duce ALBINO, ad physiologiam ipsam transiret.

Hujus viri lectiones novos BLEULANDO stimulos admoverunt. Utebatur enim ille ad illustrandam physiologiam pulcherrima praeparatorum collectione, ab ipsius fratre singulari dexteritate confectorum, quae post mortem summi viri Academiae Lugduno-Batavae cesserant. In his plura erant specimina, artificiose cera repleta. Mirabatur BLEULANDUS artem illam elegantissimam, a nostrate RUYSCHIO primum excultam, qua haud conspicua vascula injectis liquoribus ita patefiunt, ut repletae partes viventium speciem prae se ferant, atque omnis vitae nitor, motu solo excepto, iis redditus esse videatur. In sola autem admiratione non acquiescens, BLEULANDUS ipse vires periclitari cepit, auxilio adjutus praeceptoris DOEVERENI qui modum et instrumenta,

huic naturae investigationi inservientia, candide et benevole ipsi communicavit. Plura quidem BLEULANDO sese offerebant propositum retardantia. Opus aggressus erat insuetum et arduum. Rara requirebatur dexteritas ad aptam parandam materiem, eâque repletas partes ita secandas, ut illaesae a se invicem discernerentur. At labor improbus omnia vincit. Sedulo pergens, post varia tentamina eo pervenit BLEULANDUS, ut primo vasa majora, dein minora quoque replere disceret, et cum summa animi voluptate partium structuram subtiliorem ex praeparatis, propria manu factis, cognoscere ipsi contingeret.

Neque tamen hisce occupationibus a vero fine distrahi se sivit, qui medicinae studiosis propositus est. Eadem alacritate, qua ad inquisitiones anatomico-physiologicas ducebatur, studiis quoque practicis operam dedit, quae futurum medicum formant. Avide audiebat BOEVEREENI et OOSTERDYKII institutiones therapeuticas, simul vero ipsos fontes adibat et indefessus erat in evolvendis optimis scriptis veterum recentiorumque, qui experientia duce solida artis medicae jecerunt fundamenta, ita ut eum praedicantem audiverim, se SWIETENII commentarios in aphorismos BOERHAVII, voluminosum certe opus, iteratis vicibus totos perlegisse.

Postquam per sex annos Lugduni degerat, ad capessendos summos in medicina honores sese accinxit, et anno seculi praegressi octogesimo publice Doctoris titulo ornatus est, defensa dissertatione de difficili aut impedita alimentorum deglutitione.

Relicta Academia in urbem patriam redux, curandis aegrotantibus se tradidit. Comitate, benevolentia, humanitate omnibus acceptus, aeque assiduus in curandis pauperibus ac divitibus, sequenti jam anno a Magistratu Goudano Polyatri munere ornatus fuit. In dies augebatur aegrotantium numerus, ejus opem quaerentium. Neque tantum in urbe, sed per totam viciniam ejus laus celebrabatur. Undique adveniebant aut eum arcessebant morbis gravati, ab illo levamen et solatium exspectantes.

Tanta autem erat in BLEULANDO corporis animique vigor, tanta laborum patientia, ut non solum negotiis, quae cum extensa praxi medica conjuncta sunt, sustinendis sufficeret, verum etiam, quod ab illis restabat otii, studiis suis persequendis indefesso impenderet. Testantur commentationes plures, quas dum inter Goudanos degeret publici juris fecit. Singulas

recensere hujus loci non est; monuisse sufficiat, illas a peritis judicibus summo pretio habitas fuisse, atque manifesto ostendisse quantum lucis tum physiologiae tum doctrinae de sedibus causisque morborum affundat anatome subtilior, qua certe arte BLEULANDUS ejus aetatis anatomicis praecellebat.

Singulis commentationibus adjicere solebat icones anatomicas; omnem autem operam impendebat ut illae non tantum verae essent et ad naturae fidem expressae, sed simul elegantes. Exemplum sibi proponebat summi ALBINI, cujus praestantissimae tabulae anatomicae arte peritis non minus placent quam anatomicis. BLEULANDUS ipse pingendi arte instructus non erat, at tamen idoneus erat earum rerum judex, quae ad pulcrum referuntur. Delectabatur imaginibus et tabulis pictis; gratum illi erat peritorum artificum commercium, gratissimi vero illi qui opem non recusarent in adornandis arte sua operibus ab ipso edendis. Talem eo tempore expertus est JANUM KOBELL, pictorem in hac quoque urbe quondam celebratissimum, cui nonnullas egregias debemus icones, BLEULANDI commentationibus adjectas, quibus subtilissimae vasculorum ramificationes suo quaeque colore mira arte expressae sunt.

Quum hac ratione BLEULANDUS in patria non tantum, verum etiam apud exteros inclaresceret, mirum videri non potest, Academiae Harderovicenae Curatores cathedram illi obtulisse, discessu MATTHIAE GEUNSII ad Academiam Trajectinam vacuam. Plura erant quae BLEULANDI animum tenerent ancipitem. Discedendum erat a parentibus amicisque; relinquendi cives, quibus aegrotantibus per undecim annos opem tulerat; muneris emolumenta in Academia Harderovicena parca erant, cum contra urbis Goudanae consules, aegre eum dimittentes, spem facerent anatomes illic publice docendae. At vicit amor vitae literariae, et muneris oblati dignitas.

Capessivit illud habita oratione in memoriam DAVIDIS GAUBII, neque facile ex medicorum eximiorum proventu, quo patria nostra gloriatur, post BOERHAVIUM aptiorem invenire potuisset, cujus exemplum futuris medicinae studiosis ob oculos poneret.

Strenue novam provinciam aggressus partes sibi demandatas, anatomen, physiologiam, chirurgiam et artem obstetriciam summo auditorum applausu in scholis docuit. Collegis simul acceptissimus, inter quos RHOERIUS erat, quem postea in hac Academia collegam recuperavit, per quatuor annos

tranquille et studiis totus deditus Harderovici degit. Erant autem quae impedirent quominus in hac statione prorsus felicem se praedicaret. Longe aberat a dilectissimis parentibus amicisque quibuscum juventutem transegerat, accedebat quod Academia Harderovicena tum temporis a pristina celebritate jam multum recesserat. BLEULANDO igitur in votis erat ut ad aliam Musarum sedem vocaretur. Successit illud anno seculi praegressi nonagesimo quinto inopinata morte STEPHANI JOANNIS GEUNSII, quem huic Academiae ostensum magis quam datum luxerunt omnes disciplinarum amantes. Amplissimus Urbis hujus Magistratus, bene perspiciens quantá Palladi Trajectinae hujus Viri obitu clades illata esset, ea, quae semper fuit in artes literasque benevolentia, egregie prospexit, ne quid detrimenti caperet Academia, quin adeo creatis novis cathedris zoologiae et anatomes comparatae institutionem medicam data hac occasione ita amplificare decrevit, prout magis provecta disciplinae ratio postularet. Unius ergo GEUNSII loco duo Professores huc vocati sunt, BLEULANDUS et FREMERYUS. Ex quibus si illius jacturam hodie graviter ferimus, gaudemus certe FREMERYUM ad hunc usque diem Academiae servatum esse, cui post quadraginta et quod excurrit annos in Academiae emolumentum impensos, illaesam sanitatem gratulari licet.

Sed ad BLEULANDUM revertor. Anatomes et physiologiae tam humanae quam comparatae et artis obstetriciae professionem auspicaturus, orationem habuit de fabrica et functionibus corporis humani, ex animantium brutorum examine et dissectione prudenter illustrandis. Quam amplum sibi studiorum campum peragrandum proposuerit, quam bene variarum disciplinarum nexum perspexerit et mutuam conjunctionem, hac imprimis oratione declaravit. Ipsum audiatis, Auditores. « Ita, inquit, statuo, illis qui et variae et « exquisitae eruditionis gloriam appetant, appetere autem debemus omnes, « hanc legem esse positam, ut ad veterum normam non huic illive disciplinae ita se addicant, ut angustos illius limites non egrediantur, sed late « per omnem disciplinarum campum procedentes, ex quaque earum id, « quod apes in floribus solent, delibent ac congerant, quod facere queat « tum ad ornandam, tum vero etiam ad illustrandam eam artem, in qua « quis ingenii domicilium collocare et quasi habitare decreverit. »

Hinc exordio capto, ad medicinam procedit, latissime patentem disciplinam, cujus variae partes ita cohaerent, ut altera alteram adjuvet et promo-

veat, neque singulae bene excoli possint nisi accedat reliquarum auxilium. Quod praecipue de ea valet disciplina quae ad fabricam et functiones corporis humani refertur. Non sufficit, omne studium in dissecandis cadaveribus consumere. In subsidium vocanda est brutorum anatome, ut ita sedula comparatione ex analogia deducatur, quae in corpore humano obscura manserint.

Quantum incrementum exinde anatome et physiologia ceperint, copiose demonstrat BLEULANDUS tum exemplo veterum medicorum qui, quum humana cadavera secare nefas esset, ex brutorum dissectione mirum quantum profecerunt, tum vero egregiis recentiorum inventis de sanguinis circulatione, de respiratione aliisque permultis, quae nisi ex animalium brutorum incisione et experimentis cum iis institutis patefacta fuissent, ad hunc usque diem laterent.

In enarrando orationis hujus argumento longior forsan vobis videor, Auditores! At facile vos assensuros esse confido, si mecum reputetis, BLEULANDUM in illâ laborum suorum propositum et finem plane expressisse. Anatomen sibi per totum vitae decursum promovendam proposuit, non humanam tantum, sed universam, quae firmissimum praeberet physiologiae fundamentum. Corporis ergo humani et animalium partes quantum fieri posset omnes ea arte praeparare atque instruere, ut interior structura oculis pateret, instructasque colligere et ad usum asservare decrevit, ingens certe opus, quod autem BLEULANDUM, laboriosissimum simul et propositi tenacissimum, non absterruit. Ita sensim exstitit Museum illud BLEULANDINUM, quo nunc gloriatur Academia nostra.

Ignoscite igitur, Auditores! si tempori parcens vobis in memoriam non revocem, quantum lectionibus tam privatis quam publicis contulerit BLEULANDUS ad studia medica in hac Academia alenda et provehenda, quantum profuerit discipulis institutione, admonitione, exemplo. Hae enim laudes sunt cujusque Professoris, munere suo non prorsus indigni. Quae autem BLEULANDO propria fuit laus, haec in Museo cernitur Anatomico, in quo adornando et amplificando omne vitae tempus consumsit, quod a reliquis negotiis liberum ipsi concederetur. Hujus ergo Musei originem et incrementum paucis exponam.

BLEULANDUM jam vidimus, quum Goudae degeret, quae ab exercenda ad lectos aegrotantium medendi arte restabant otia, anatomicis impendisse

investigationibus. Multiplici autem praxi medica distractus et impeditus, de Museo condendo ne cogitare quidem potuit. Quum vero Harderovicum delatus majus otium nancisceretur, probe recordans quantam delectationem et utilitatem Praeceptoris Albini lectionibus addiderant specimina anatomica, quae ille auditoribus ostendere solebat, ipse eandem viam ingredi cepit et manum operi admovit. Res ex voto successit. In dies augebatur numerus partium corporis humani, subtiliori anatome praeparatarum. Postea, quum in hac Academia Professoris munus suscepisset, non minori industria propositum exsequi perrexit. Nulli labori, nullis sumtibus parcens, supellectilem anatomicam perpetuo augebat, quo magis adaptata esset ad omnia physiologiae capita illustranda. Neque sani tantum corporis partes, arte liquoribus impletas, in Museum suum congerebat, sed et morbosi, quo melius organicorum morborum indoles cognosceretur. Neque in hominis anatome subsistebat, sed partes quoque quae in diversis animalium classibus diversas functiones peragunt simili modo praeparabat, eo proposito ut rite cognitis et perspectis interioris structurae differentiis nova universae physiologiae lux affunderetur. Qua quidem in re affirmare ausim, BLEULANDUM reliquis anatomicis praecessisse. Quae enim eo tempore exstabant collectiones, ad anatomiam comparatam pertinentes, animalium quidem sceletos continebant visceraque et alias partes simplici dissectione praeparatas, ille autem primus fuit, qui optimo cum fructu subtiliori usus sit anatome.

Fieri non potuit quin BLEULANDUS, constanti studio in dissecandis hominum brutorumque corporibus occupatus, plura detegeret quae facerent ad promovendam disciplinam anatomicam. In iis opusculis anatomici argumenti, quae sive Goudae sive Trajecti edidit, plura congessit quae faciant ad illustrandas difficillimas neque nostra quoque aetate plane solutas quaestiones de transitu arteriarum in venas atque de vasorum lymphaticorum origine. Arteriarum et venarum praesentiam in villis intestinorum primus demonstravit. Multa porro in Museo exposuit specimina anatomica, quae manifesto docent, eum plura jam cognovisse, quae deinde ab aliis pro novis sunt ventilata. Ut alia taceam, vasa lymphatica in branchiis piscium viderat dudum ante FOHMANNUM; quaeque de osteogeneseos processu nostris diebus docuit HOWSHIPPIUS, haec fere omnia in subtilissimis BLEULANDI praeparatis jam diu cuique conspicienda patebant.

Non mirum igitur, Museum illud civium aeque ac exterorum unanimi consensu summis laudibus elatum fuisse, neque ullum facile fuisse medicinae cultorem, in nostris regionibus peregrinantem, quin gestiret celebratas BLEULANDI injectiones ipse perlustrare oculis. Quae quo magis BLEULANDO grata erant, eo majori premebatur metu, ne post mortem Museum in partes distraheretur, aut integrum in externas regiones translatum patriae eriperetur. Hac vero sollicitudine liberatus fuit quum Regis Augustissimi munificentia, anno hujus seculi decimo sexto, Academiae nostrae modo instauratae Museum honorificentissime cedere potuit, ita ut splendido loco expositum per reliquam vitam ipsius curae committeretur.

Sic voti compos factus, de ratione qua majorem Museo utilitatem conciliaret consilium iniit, quo proposito ejus descriptionem in lucem edere placuit, qua omnes intelligerent, quales quantosque thesauros illud complecteretur; studiosi vero, quoties Museum adirent, facile quid in quoque specimine praecipue esset attendendum, ex descriptione cognoscerent. Speciminum catalogo lubenter praecipuorum icones addidisset, at ingentes sumtus, ad edendas illas requisiti, eum tunc absterrebant. Hac autem in re succurrit iterum Regia liberalitas, qua adjutus BLEULANDUS, senex jam at in ipsa senectute juvenili ardore studiis medicis gloriaeque suae prospiciens, duodecim fasciculos iconum ad anatomiam tam physiologicam quam pathologicam spectantium publici juris fecit.

Facile mecum intelligitis, Auditores! BLEULANDO ad tanta peragenda opus fuisse adjutoribus laborumque sociis, sive ad specimina ipsa praeparanda, quorum numerus, qui Museo continetur, ultra bismille quingenta excrevit, sive ad illa delineanda atque sculptoria arte exhibenda. Ea autem erat in viro praestantis ingenii vis, singulari morum suavitati juncta, ut facile ad se alliceret et sibi devinciret generosos juvenes, quos aptos censeret quibus laboris partem committeret. Hos ipse ad opus peragendum informabat, animisque eundem ad difficiliora quaeque tentanda ardorem injiciebat, quo ipse flagrabat. Ita in Academia Harderovicena ad anatomes subtilioris exercitium adduxit eximium RIEMERUM, qui dein, quum Hagae Comitum medicinam faceret, supellectilem sibi comparavit anatomicam, BLEULANDI quidem Museo non aequiparandam, at tamen magna laude celebratam. In nostra Academia ad eandem artem informavit tanto magistro dignissimum PETRUM KONINGIUM, quem novimus dexterrimum anatomicum et chirurgum, qui autem, quidquid praesti-

terit, BLEULANDI institutioni acceptum referebat. Hujus auxilio egregie usus est in augendis Musei divitiis, neque tamen aegre tulit, quin adeo summa laetitia vidit, hunc discipulum suum, novam insuper viam ingressum, artem corporis partes cera fingendi feliciter excoluisse atque comparato Museo speciminum e cera confectorum propriam sibi laudem peperisse.

E. BLEULANDI schola peritos prodiisse anatomes cultores non est sane quod miremur; mirandum autem illum, qui pingendi artem minime callebat, pictores produxisse eximios. Neque tamen quidquam verius. Felici et exquisito pulcri sensu gaudens, in rudioribus saepe adumbrationibus, pueri manu ductis, futurum praesagiebat artificem. Qualem puerum quoties inveniebat, hunc ad se trahere, ope et consiliis adjuvare, e proprio penu imaginum exemplaria ad imitandum proponere, amicis, pictoribus imprimis, commendare, verbo, paterna sollicitudine ejus commodis et progressibus invigilare solebat. Hanc benevolentiam, ut multos alios taceam, expertus est ingeniosus VERHEYEN, hujus urbis civis, quem ex officina vulgaris pectoris colorandis aedibus occupati eduxit, et ita ad artem informavit, ut nunc merito optimis in patria pictoribus accenseatur.

Idem illud pulcri studium egregie declaratur pretiosa tabularum pictarum collectione, quam studiose undique congessit. In his plures invenias, antea parvi habitas atque in latibula rejectas, quae autem acutum BLEULANDI oculum non effugerunt, sed ab illo in lucem productae atque pulvere ac sordibus quibus inquinabantur purgatae, in pristinum decus restitutae sunt.

Duodecim abhinc annis ob aetatem septuagenariam honorifice rude donatus, otio tamen non indulsit, sed dilecto suo Museo prospicere et aegrotis inservire perrexit, donec, senectute magis magisque torpentibus viribus, tandem aetatis anno octogesimo secundo placida morte ad beatorum sedes translatus est, vitae bene peractae exemplum omnibus relinquens. Sit ipsi terra levis!

(*Musica lugubris auditur.*)

Ad alteram orationis partem accedo, qua mihi memoranda sunt reliqua, quae me Rectore Academiae laeta et tristia acciderunt.

Salvum esse Regem Augustissimum, salvos Academiae Curatores Viros

Amplissimos est sane quod gaudeamus. Graviter autem ferimus e Curatorum Collegio discessisse Nobilissimum VAN ASCH VAN WYCK deposito Consulis hujus urbis munere. Ut enim sollicita Viri cura egregie Academiae profuit per omne tempus, quo munere illo functus est, ita singularis ejus eluxit in Academiam benevolentia festis praecipue iis diebus, quibus ducentesimum Academiae natalem celebravimus. Illum enim omni studio id egisse, ut festi decus et splendor augerentur, grati profitemur.

Provida Regis cura in vacantem Curatoris locum suffectus est Vir Amplissimus KIEN, consulari dignitate ornatus. Gaudemus autem, WYCKIO successorem datum esse, quem novimus artibus literisque faventem.

Vestrum autem ordinem cum intueor, collegae conjunctissimi, summopere laetor omnes qui praecedenti anno huic solennitati adfuerunt, sanos salvosque superesse, quin adeo me veteranis nostris corporis mentisque integritatem gratulari posse. Neque tamen, quae est humanarum rerum ratio, ab omni clade immunes fuerunt domus vestrae. Vobiscum luximus, clarissimi ROYAARDS, HERINGA, HOLTI, quos obitus sive filiae dilectissimae, sive carissimae matris graviter afflixit, Vobisque solatium illud apprecati sumus et etiamnunc apprecamur, quod ratio praebet et religio christiana.

WOLTERBEEKIUM nostrum propter aetatem prope septuagenariam vacatione muneris honestissima donavit Rex Augustissimus. Aegre Te ex docentium coetu amissuri sumus, Vir Clarissime, neque tamen otium cum dignitate Tibi invidemus, post viginti et duos annos, quos summo cum fructu in studiosae juventutis commodum impendisti, Tibi concessum. Integra valetudine, diu jucunda quiete fruare, quam Tibi petiisti. Illud autem Tibi non minus gratum accidisse novi quam universo Senatui Academico, successorem Tibi datum esse e schola Tua profectum, qui, vestigia Tua premens, damnum quod Tuo discessu Academiae imminebat, resarcire possit.

Talis enim ab omnibus haberis, amicissime SUERMAN, quem me, Magistratu Academico abeuntem, futurum collegam salutare posse vehementer gaudeo. Adsit Tibi in gravissimo munere obeundo Summum Numen. Prospere Tibi cedant quaecumque, paternae laudis aemulus, in emolumentum scholae nostrae medicae moliturus es. — Tibi vero, Clarissime SUERMAN, raram illam felicitatem ex animo gratulamur, quod filium Tuum, probantibus omnibus, Tibi Collegam adjunctum vides.

E Lectorum numero morte sublatus est CAROLUS THOMSON, vir animo candido et aperto, moribus ingenuis commendatus. Natione Anglus, juvenis jam huc venit docendae linguae Anglicae causa. At Franco-Gallis sub finem praegressi seculi regionem hanc invadentibus, in patriam migravit. Mox vero post vindicatum a Francorum dominatione Belgium ad nos redux, in instaurata Academia Lectoris Literarum Anglicarum munere ornatus fuit, quod ita gessit, ut et discipulis carus esset et omnium existimatione gauderet. Tandem senectute confectus, a docendo abstinuit, et exeunte anno praeterito diem obiit supremum, annum agens octogesimum quintum.

Neque mors hoc quoque anno a studiosis nostris abstinuit. Tres juvenes, in hac Academia in studia incumbentes, JACOBUM ANTONIUM VERKÉE, CHRISTOPHORUM CASIMIRUM ADOLPHUM VAN VOÊRST, JOANNEM VAN DER GRONDEN, praematuro fato oppressos, cum parentibus amicisque lugemus.

Ceterum sub auspiciis Curatorum, quorum experti sumus in literas et doctrinas studium et voluntatem, Academia Magistratu meo laete floruit indefessa Professorum cura, studiosorum industria et morum probitate. Quos si omnes eadem laude complecti veritas vetet, longe pleresque tamen discendi ardore et moribus ad cultum et humanitatem compositis ita sese commendasse lubens testor, ut quae reprehendenda habuerim gravia quidem at pauca; quae laudanda, plurima fuerint. Quam strenue Academiae nostrae alumni in studia incumbant demonstrarunt illi qui hoc anno in certaminibus literariis meritas laudes retulerunt, RÖMERUS in Groningana, HEUSDIUS et KEMINKIUS in Lugduno-Batava Academia. Quod imprimis Tibi gratulamur, conjunctissime HEUSDI, cui novimus nullum gaudium optatius esse illo, quod ex prosperis filiorum successibus Tibi accedit.

Academicam supellectilem quod spectat, ea studiorum utilitati inservire perrexit, partim etiam egregie aucta et locupletata est.

Bibliotheca UTENHOVIANA, a nobilissima eruditissimi Viri vidua nobis donata, hoc anno, una cum desideratissimi nostri MOLLII libris, in theca nostra rite disposita est. Habemus autem, quod Academiae de hac nostra supellectile literaria gratulemur. Nam postquam illa per hos viginti et quod excurrit annos cum Regia munificentia, tum privatorum donis, tum integris adeo bibli-

othecis aucta est, ecce! locus tandem recipiendis libris, qui nimiae antea magnitudinis visus fuerat, haud sufficiens repertus est. Quam ob rem vestibulum etiam Bibliothecae ad libros recipiendos, Curatorum decreto, instrui coepit.

In Nosocomio Academico institutio clinica de cognoscendis et curandis morbis internis fructuosam dedit opportunitatem aegros sive in ipso Nosocomio decumbentes, sive quotidie huc advenientes examinandi, vires medicamentorum observandi et in morbis arte superioribus exitum et effectum morborum in cadaveribus investigandi. Neque minor fuit opportunitas medicinae alumnis, qui embryulciae studio operam dare vellent, decursum partus naturalis atque regimen puerperarum observandi, aut aberrantem naturam in viam reducendi. Neque difficile fuit illis, qui artis elementis imbuti essent, etiam extra Nosocomium sub auspiciis artis obstetriciae Professoris vires periclitandi, et vero graviores partuum causas absolvendi.

In Clinicum chirurgicum magnus aegrotantium numerus receptus est, ita ut et casus etiam rariores observari, et juxta regulas artis tractari, et graves denique operationes institui egregie potuerint.

Instrumenta in usum anatomicum et physiologicum hoc anno adaucta sunt egregio microscopio, a peritissimo artifice BOLLOND confecto.

Specimina Musei BLEULANDINI servandi cura post mortem venerandi Senis Viro Clarissimo SCHROEDERO VAN DER KOLK mandata est. Accesserunt plura nova, tum integer sceletus hominis ultra quinquaginta annos maniaci, tum alia illaque nitidissime confecta quae vasorum distributionem in corpore ipsiusque cordis fabricam illustrant, alia quae cerebri physiologiam spectant, tum denique specimina quaedam subtiliora in quibus ductuum biliferorum in homine fines ultimae nuper a clarissimo SCHROEDERO VAN DER KOLK primum detectae et argento viro impletae elegantissime conspiciuntur.

Quod jam ante decem hos annos MOLLIO in votis erat, ut apparatui physico, vigili ejus cura egregie aucto, amplior concederetur locus, illud hoc anno evenisse est quod laetemur. Duo enim conclavia, auditorio physico confinia, et a Magistratu urbano benevole in usum Academicum concessa, conjunctis sumtibus Academiae et Societatis physicae hujus urbis, cujus instrumenta eodem loco servantur, elegantissimis thecis instructa sunt, ita quidem ut omnia instrumenta physica jam rite disponi possint, et spatium remaneat iis recipien-

dis, quae stupenda disciplinae physicae incrementa in dies postulant. Ipse apparatus hoc anno auctus fuit pluribus instrumentis ad galvanismum pertinentibus, tum vero egregia collectione instrumentorum opticorum, quibus illustrantur quaecunque recentiori tempore de diffractione, polarisatione et interferentiis lucis detecta sunt.

Laboratorium chemicum, paucis instrumentis auctum, ad docendam hanc disciplinam cum fructu inservire pergit.

Museum mineralogicum et geologicum speciminum numero sensim increscit.

Neque reticenda, quae ad ornandum senaculum nostrum accesserunt, eaque pergrata quidem. Nam elegantissimum horologium, quod MOLLIO, vicesimum quintum professionis annum agenti, grati obtulerant discipuli, post Viri obitum suum fecit atque Senatui Academico donavit ornatissimus hujus Academiae civis DE JONGE VAN ELLEMEET, luculento documento, quanta pietate Academiae alumni defunctorum professorum memoriam colant.

Desideratissimi quoque Viri imaginem, a peritissimo HODGES pictam, nobis ab heredibus concessam et jam suo loco in senaculo expositam esse, summopere laetamur.

Quod Rectoris, munere abituri, officium suavissimum esse solet, Juvenes optatissimi, ut victoribus in certamine literario industriae praemia distribuat, id mihi negatum est. At habeo tamen, quod vobis offeram, programma novi certaminis ineundi, in quo vires periclitemini. Ad illud igitur vos voco, quotquot habita studiorum ratione id tuto inire potestis. Strenue in palaestram descendite; almae matris Academiae decus et gloriam sustinete. Palma vobis proponitur, quae non tantum juveniles vestras frontes ornabit, sed quam reportasse per totam vitam dulcis erit recordatio. Audite ergo quaestiones, a singulis ordinibus propositas.

(*Leguntur Quaestiones.*)

Hisce peractis, unum superest, ut Magistratum meum successori tradam, decreto Regis Augustissimi mihi dato.

Te igitur, Clarissime VINKE, hujus Academiae Rectorem in annum proximum dico, renuntio, proclamo. Accedas, Vir Clarissime, locumque occupes, quem Tibi vacuum reliqui.

Salve, Magnifice Academiae Rector, iterumque salve. Largiatur Tibi prosperam valetudinem Deus Optimus Maximus sitque Tibi in Magistratu gerendo propitius. Te Rectore, laete floreant in Academia Trajectina artium literarumque studia.

DIXI.

INDEX OPERUM

QUAE PUBLICI JURIS FECIT

BLEULANDUS.

Specimen Academicum inaugurale de difficili aut impedita alimentorum deglutitione. L. B. 1780.

Experimentum anatomicum quo arteriolarum lymphaticarum existentia probabiliter adstruitur. L. B. 1784.

Observationes anatomico-medicae de sana et morbosa oesophagi structura. L. B. 1785.

Tractatus de difficili aut impedito alimentorum ex ventriculo in duodenum progressu, observationibus clinicis atque tabulis anatomicis illustratus. L. B. 1787.

Icon hepatis foetus octimestris, quam, impletis vasculis arteriosis, naturali colore expressam edidit J. BLEULAND. Traj. ad Rhenum 1789.

Oratio qua memoria HIERONYMI DAVIDIS GAUBII, cum omnibus, tum praesertim medicinae studiosis commendatur, publice habita cum in Academia Gelro-Zutphanica ordinariam medicinae, anatomes, physiologiae, chirurgiae et artis obstetriciae professionem auspicaretur die 13 Junii 1791.

Oratio de fabrica et functionibus corporis humani ex animantium brutorum examine et dissectione prudenter illustranda, publice habita die 20 Novembris 1795, quum ordinariam medicinae, anatomes et physiologiae tam humanae quam comparatae et artis obstetriciae professionem in Academia Trajectina auspicaretur. Traj. ad Rhenum 1796.

Vasculorum in intestinorum tenuium tunicis subtilioris anatomes ope detegendorum descriptio iconibus ad naturae fidem pictis illustrata. Traj. ad Rhen. 1797.

Oratio de vitae fructu, quo animalibus praestant homines, e corporis etiam fabricatione conspicua, publice habita die 26 Martii 1817, quum Magistratu Academico abiret (inserta Annalibus Academiae Rheno-Trajectinae anni 1816—1817.)

Descriptio Musei anatomici, quod, Universi Belgii Regis Augustissimi, Gulielmi I, munificentia, Academiae Rheno-Trajectinae concessit J. BLEULAND. Traj. ad Rhen. 1826.

Otium Academicum, continens descriptionem speciminum nonnullarum partium corporis humani et animalium, subtilioris anatomiae ope in physiologicum usum praeparatorum, aliorumque quibus morborum organicorum natura illustratur. Traj. ad Rhen. 1826. *Operis hujus duodecim prodierunt fasciculi, duas in sectiones dispertiti, quae hisce titulis distinguuntur.*

Icones anatomico-physiologicae (pathologicae) partium corporis humani, quae in descriptione Musei Academiae Rheno-Trajectinae inveniuntur.

ADDENDA ORATIONI RECTORIS.

RES ACADEMICAE.

Die II Maji A. 1838.

Rector communicat epistolam Viri Juvenis DE JONGE VAN ELLEMEET, hac in Academia Juris Candidati, qui Senatui offert illud donum, quod studiosi hujus Academiae Viro Clar. MOLLIO, dum vivebat Professori, obtulerunt, quum hic annum celebrabat vicesimum quintum, quo professoris munere functus esset; quod quidem instrumentum pretiosum vir dictus in auctione defuncti emerat. — Senatus hoc donum accipere decrevit et simul gratias agendas esse jussit donatori per epistolam.

Die XIV Sept. A. 1838.

Ordo Literarum proponit virum Clar. PETRUM OTTONEM CONRADUM VORSSELMAN DE HEER, Math. Mag. Natur. Doct. Math. Phys. et Philos. Theor. Professorem in Athenaeo Daventriensi, declarare literarum humaniorum Magistrum et philosophiae theoreticae Doctorem honoris causa, quod omnium suffragium tulit.

Rector refert, virum Nobilissimum VAN ASCH VAN WIJCK, hujus urbis consulem, hoc munere brevi, fertur, abdicaturum, simulque proponit, huic virum nobilissimum mittere delegatos a Senatu, qui eum consilium mutare studeant.

X

Perpensis autem eximiis meritis, quae in scientias et literas humaniores jam diu habuit vir nobilissimus VAN ASCH VAN WIJCK, qui praeterea singulari studio Academiae Ultrajectinae res curavit, quod dum hujus urbis Consul fuit egregie probavit, cum alias tum inprimis in jubilaeo hujus Academiae; Senatus Rectoris propositum probat et accipit. — Rectori et Viro Clarissimo qui ab actis est hujus officii cura demandatur.

Die 29 m. Octobris.

Rector refert ea, quae Viri Cl. a Senatu delegati ad nostrae urbis consulem, ut ipsum permoverent ne munus deponeret, hac in causa perfecerunt.

Rector communicat literas a Curatoribus missas a. d. 17 Sept., quibus referunt, Regem non satisfecisse rogationi Senatus, qua professores petiverant exemtionem sodalitatis illius sodalitii quod dicitur *Algemeen pensioenfonds voor burgerlijke ambtenaren.*

Rector communicat epistolam a Curatoribus missam d. 24 Oct., qua referunt virum Clar. J. J. WOLTERBEEK, uti rogaverat, rude donatum esse salvo honore, ita vero, ut haec conditio initium capiat ab eo tempore, quo institutioni a dicto viro Clar. hucusque datae alius professor praeërit. — Rector proponit mittere ad virum Clar. WOLTERBEEK delegatos, qui ei a parte Senatus testificentur, quanto dolore audiverint nuntium de eo, munere Academico defuncturo, qui vero simul ipsi gratulentur honorificam laborum quietem, quam Rex Augustissimus ei dedit; qua re a Senatu probata Rectori et viro Clarissimo qui ab actis est hujus rei cura demandatur.

Facultas Juridica proponit juris doctoratu honoris causa donare HENRICUM JOHANNEM HOOGEVEEN, Summo in India Orientali, quae paret Batavis, rerum administrandarum concilio ab actis, eques Leonis Belgici — quod omnium suffragium fert.

Vir Clar. VORSSELMAN DE HEER introducitur in conclave Senatus et ex edicto Senatus donatur Doctoratu Literarum et Philosophiae Theoreticae, promotore viro Clar. VAN GOUDOEVER. Pro honorifico titulo gratias agit dictus vir Clar. VORSSELMAN DE HEER.

Die 9. m. Novembris.

Rector communicat Senatum esse convocatum propter mortem Viri Clar. BLEULANDT. Proponit more solito dolorem viduae testificari par delegatos, atque offerre funus Academicum. — Vir Clar. DE FREMERY nomine viduae gratias agens pro honorifica Senatus benevolentia funus humanissime recusat.

Rector refert delegatos ad virum Clar. WOLTERBEEK perfecisse quod ipsis fuit demandatum.

Die 2. m. Februarii 1839.

Rector communicat epistolam viri consultissimi VAN HOOGEVEEN, qua hic gratias agit Senatui pro honorifico sibi oblato Doctoris juris titulo.

Die 21. m. Martii 1839.

In Senatum venerunt Academiae Curatores viri amplissimi, quorum praeses viro Clarissimo HENRICO EGBERTO VINKE designato proximi anni Rectori, postquam solemne jusjurandum praestiterat, novos honores gratulatus est, et anni mox exacti Rectori Viro Clar. RICHARDO VAN REES pro fide et cura in magistratu obeundo gratias egit, cui gratulationi cum novus Rector humaniter respondisset, Curatores comitante universo Senatu Clar. VAN REES in Cathedram deduxerunt, qui habuit orationem de Clar,

BLEULANDO, enarratis simul quae Academiae ipso rectore cum laeta tum tristia accidissent.

Porro certior factus est Senatus, in conventu Curatorum, Rectoris, Assessorum et graphiarii lectores esse in annum subsequentem Assessores quatuor Clar. HOLTIUM, SCHRÖDER VAN DER KOLK, VISSCHER et VAN REES.

SERIES LECTIONUM,

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

inde a die IV *m. Septembris* MDCCCXXXVIII

usque ad ferias aestivas anni MDCCCXXXIX

A PROFESSORIBUS ET LECTORIBUS HABENDARUM.

In *FACULTATE MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE NATURALIS* docebunt

Elementa Matheseos I. F. L. SCHRÖDER, diebus martis, mercurii, iovis et veneris, hora IX.

Stereometriam, Trigonometriam Sphaericam, adhibitam ad Astronomiam Sphaericam et Geographiam Mathematicam I. F. L. SCHRÖDER, die veneris atque saturni, hora VIII.

Collocutionibus de ratione docendi disciplinas Mathematicas vacabit I. F. L. SCHRÖDER, die lunae, hora IV.

Calculum differentialem et integralem I. F. L. SCHRÖDER, diebus lunae et martis, hora X.

Physicam experimentalem R. VAN REES, diebus lunae, martis, iovis et veneris, hora I.

Astronomiae primas notitias R. VAN REES, diebus lunae, martis, iovis et veneris, hora IX,

Astronomiam theoreticam et practicam R. VAN REES, hora deinceps indicanda.

Chemiam generalem et applicatam N. C. DE FREMERY, diebus lunae, martis, mercurii et iovis, hora XII.

Elementa Chemiae Regni organici, praesertim vegetabilis, P. J. I. DE FREMERY, diebus veneris et saturni, hora IX.

Chemiam, artibus adhibitam, P. J. I. DE FREMERY, die martis, horâ pomeridianâ VI. — VIII.

Iis, qui instituendis operationibus chemicis operam dare cupiunt, praeërit P. J. I. DE FREMERY, diebus et horis, auditoribus commodis.

Botanices et physiologiae plantarum elementa C. A. BERGSMA, diebus lunae, martis, mercurii et iovis, hora X.

Oeconomiam ruralem C. A. BERGSMA, diebus et horis, auditoribus commodis.

Excursionibus botanicis singulis hebdomadibus praeërit C. A. BERGSMA.

Botanicam et Physiologiam plantarum I. KOPS, licet propter aetatem rude donatus, diebus et horis, auditoribus commodis.

Zoölogiam TH. G. VAN LIDTH DE JEUDE, diebus lunae, martis et mercurii, hora XI.

Anatomiam comparatam TH. G. VAN LIDTH DE JEUDE, die saturni, hora I.

Mineralogiam et Geologiam H. C. DE FREMERY, diebus iovis et veneris; hora XI.

Oeconomiam ruralem I. KOPS, diebus et horis auditoribus commodis, in Museo regio instrumentorum ruralium.

In *FACULTATE THEOLOGICA.*

Encyclopaediae theologicae partem tradet H. BOUMAN, diebus iovis, horâ X.

Theologiae naturalis historiam recentiorem exponet H. BOUMAN, diebus iovis et veneris, horâ IX.

Historiam Ecclesiae et doctrinae Christianae mediam tradet H. I. ROYAARDS, diebus lunae et martis, hora XII. et mercurii, hora II.

Historiam Ecclesiae Belgicae narrabit H. I. ROYAARDS, die iovis, horis XII. et I.

Disquisitionibus de Hist. Eccl. Christ., probationi academicae praeviis, vacabit H. I ROYAARDS, die iovis, hora II.

Hermeneuticae sacrae partem posteriorem exponet H. BOUMAN, diebus lunae et martis, hora X.

Ieremiae vaticinia selecta interpretabitur H. BOUMAN, die veneris, hora X.

Catholicas N. F. epistolas explicabit H. BOUMAN, diebus lunae et martis, hora IX.

Theologiam dogmaticam docebit H. E. VINKE, diebus lunae, martis, mercurii et iovis, hora XI.

Collocutionibus de *Theologia populari* vacabit H. E. VINKE, die veneris, hora XII — II.

Ethicam Christianam, maxime *doctrinam virtutis Christianae et officiorum*, docebit H. I. ROYAARDS, diebus lunae, martis et mercurii, hora I.

Praecepta *homiletica* tradet H. E. VINKE, diebus lunae, mercurii et saturni, hora VIII.

Officia doctorum et antistitum in Ecclesia Christiana exponet I. HERINGA, E. F. diebus martis, iovis et veneris, hora VIII.

Puerorum, doctrinae Christianae initiis *erudiendorum*, exercitationem instituet H. E. VINKE, die veneris, hora XI.

Commilitonibus, *orationes* habentibus *sacras*, praesides aderunt I. HERINGA, E. F. die martis, horâ I., H. BOUMAN, die lunae, horâ I., H. I. ROYAARDS, die veneris, horâ I., et H. E. VINKE, die iovis, horâ I.

Publicis *disputandi* exercitationibus praeërunt alternatim, die mercurii, hora I. I. HERINGA; E. F. H. BOUMAN, H. I. ROYAARDS, et H. E. VINKE.

In *FACULTATE IURIDICA* docebunt

Pandectas, diebus martis, mercurii, iovis et veneris, hora X., H. ARNTZENIUS, qui, propter aetatem honorifice rude donatus, suam operam et consilia commilitonibus offert.

Codicem legum civilium interpretabitur I. R. DE BRUYN, diebus lunae, martis, mercurii, iovis et veneris, hora I.

Encyclopaediam iuris I. R. DE BRUYN, diebus lunae, hora X, mercurii et veneris, hora XI.

Elementa Oeconomiae politicae I. R. DE BRUYN, diebus lunae, martis et iovis, hora XI.

Institutiones Iustiniani A. C. HOLTIUS, diebus lunae, martis, mercurii, iovis et veneris, hora IX.

Historiam Iuris Romani privati ad Constantinum, secundum sua *Lineamenta* (quae prostant apud Academiae Typographum) A. C. HOLTIUS, diebus lunae et veneris, hora I., die saturni, hora IX.

Historiam gentium recentiorum politicam I. ACKERSDYCK, diebus lunae, mercurii et veneris, hora XII.

Rerumpublicarum, *inprimis patriae*, *notitiam* I. ACKERSDYCK, diebus martis, iovis et saturni, hora XII.

Ius Naturale I. F. H. BIRNBAUM, diebus martis, iovis et veneris, hora VIII.

Ius Publicum et Gentium I. F. H. BIRNBAUM, diebus lunae et saturni, hora X., die martis, hora IX.

Ius Criminale I. F. H. BIRNBAUM, diebus lunae, mercurii, iovis, veneris et saturni, hora IX.

Disputandi exercitationibus, alternis hebdomadibus, praeërunt Professores in facultate Iuridica.

In *FACULTATE MEDICA* docebunt

Anatomiam I. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK, quater per dierum hebdomadem, horâ IV.

Physiologiam I. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK, diebus lunae, martis et iovis, horâ VIII. matutinâ, die mercurii, hora IX.

Anatomiam Pathologicam, bis per dierum hebdomadem, I. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK, horâ auditoribus commodâ.

Dissectionibus cadaverum Anatomicis, opportuno anni tempore instituendis, praeërit quotidie I. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK.

Pathologiam exponet B. F. SUERMAN, ter per dierum hebdomadem, hora IX.

Doctrinam de cognoscendis et curandis hominum morbis I. I. WOLTERBEEK, quater, hora XII.

Therapiam generalem, et apparatum medicaminum, exponet I. I. WOLTERBEEK, quater per dierum hebdomadem, hora I.

Pharmaciam, vernaculo sermone, N. C. DE FREMERY, diebus lunae et martis, hora II.

Examen aegrotantium et Semeioticam, I. I. WOLTERBEEK, in Nosocomio Academico, hora X.

Institutionibus clinicis morborum internorum vacabit I. I. WOLTERBEEK, singulis diebus, in Nosocomio Academico.

Theoriam disciplinae chirurgicae tradet B. F. SUERMAN, quater per dierum hebdomadem, hora VIII.

Operationes chirurgicas demonstrabit B. F. SUERMAN, tempore hyemali, quater per dierum hebdomadem, hora V.

Institutionibus in arte chirurgica, quovis die, vacabit B. F. SUERMAN.

Theoriam artis obstetriciae I. I. WOLTERBEEK, die martis, iovis et veneris, hora IX.

Institutionibus obstetriciis, inprimis practicis, in Nosocomio habendis vacabit I. I. WOLTERBEEK.

Medicinam Forensem, N. C. DE FREMERY, diebus mercurii et saturni, hora VIII.

Disputandi exercitationibus, alternis hebdomadibus, Professores in Facultate Medica praeërunt.

I. BLEULAND, licet propter aetatem honorifice rude donatus, commilitonibus, qui explicationem accuratiorem speciminum Anatomicorum et Pathologicorum, in Museo praesentium, desiderabunt, sua officia, quantum valetudo permittet, offert.

F. S. ALEXANDER, *Prof. honorarius*, institutionibus clinicis in Nosocomio militari, singulis diebus horâ undecima, vacabit.

In *FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM* docebunt

Logicam, atque *Anthropologiam* I. F. L. SCHRÖDER, diebus lunae atque saturni, hora IX.

Doctrinam Moralem I. F. L. SCHRÖDER, diebus iovis et veneris, hora II.

Literas Latinas A. VAN GOUDOEVER, diebus martis, mercurii, iovis et veneris, hora XI. interpretando cum Ciceronis *Tuscul. Quaest.* Lib. III., tum Virgilii *Aeneidos* Lib. XII.

Antiquitatem Romanam A. VAN GOUDOEVER, diebus martis, mercurii, iovis et veneris, hora X.

Exercitationes Paedagogicas moderabitur A. VAN GOUDOEVER, die saturni, hora XII. et I.

Literas Graecas PH. G. VAN HEUSDE, interpretando Platonis *Symposio*, adiunctâ lectione cursoriâ *Homeri*, *Herodoti et Polybii*, die lunae, hora XI, et diebus martis, iovis et veneris, hora I.

Literas Hebraicas I. C. SWYGHUISEN GROENEWOUD, cum interpretanda *Grammatica* tum *eius*, ut et *Syntaxeos*, usu in legendis quibusdam V. F. capitibus historicis monstrando, diebus lunae, martis, iovis et veneris, hora II.

Literas, cum *Aramaeas*, tum *Arabicas*, I. C. SWYGHUISEN GROENEWOUD, diebus mercurii, hora VIII., et veneris, hora I.

Antiquitatem Hebraicam I. C. SWYGHUISEN GROENEWOUD, diebus lunae, martis, iovis et veneris, hora VIII.

Caeterum provectiorum commilitonum desideriis, quoad poterit, satisfaciet libentissime I. C. SWYGHUISEN GROENEWOUD.

Historiam gentium, praesertim *gentium recentiorum*, PH. G. VAN HEUSDE, diebus lunae, martis, iovis et veneris, hora XII.

Historiam philosophiae, tradendis maxime vitis placitisque *Socratis*, *Platonis* et *Aristotelis*, PH. G. VAN HEUSDE, diebus mercurii, hora XII., et saturni, hora XI.

Literas Belgicas et literarum Belgicarum Historiam L. G. VISSCHER, diebus lunae, martis, veneris et saturni, hora X.

Praecepta Styli bene Belg. L. G. VISSCHER, diebus martis, iovis et saturni, hora I.

Historiam Patriae L. G. VISSCHER, diebus lunae et martis, horâ XI., iovis, horâ X, et saturni, hora XI.

Poëtarum principum Belg. selecta loca L. G. VISSCHER, diebus iovis et veneris, hora IV.

Antiquitatem Germanicam exponere perget L. G. VISSCHER, diebus martis et mercurii, hora IV.

Disputandi exercitationibus, sermone vernaculo habendis, praeërit alternis hebdomadibus, die lunae, hora IV., L. G. VISSCHER.

Disputandi exercitationibus praeërunt alternis hebdomadibus, die saturni, hora I., alternatim PH. G. VAN HEUSDE et A. VAN GOUDOEVER.

G. DORN SEIFFEN, *Litt. Hum. Lector*, *Historiam conversionis rerum publicarum in Europa ab Anno* MDCCLXXXIX *usque ad A.* MDCCCXV patrio sermone tradet, die mercurii, hora I. *Latine loquendi exercitia instituet*, die veneris, hora IX., aliave magis commoda.

I. H. KOCH, *Linguae Germanicae grammaticam* et *historiam literariam* interpretabitur, horâ auditoribus commodâ.

Literas Francicas tradet G. C. VERRIET, diebus lunae et iovis, hora V.

Literas Anglicas tradet C. THOMPSON, diebus lunae et iovis, hora IV.

L. DE FRAICE, *Academicus gladiatoriae artis Magister*, quotidie aptum et elegantem gladii usum docebit.

Bibliotheca Academica, diebus lunae, martis, iovis et veneris, ab hora I. in II; diebus mercurii et saturni ab hora I. in IV, et feriarum tempore singulis diebus iovis, ab hora I. in II., unicuique patebit. Museum quoque zoölogicum, tam huius Academiae, quam privatum in aedibus Professoris Historiae Naturalis, cuique roganti patebit.

SERIES DISPUTATIONUM PUBLICE

ET PRIVATIM DEFENSARUM,

a die XXVI *Martii*, *a.* CIƆIƆCCCXXXVIII,

ad diem XXVI. *Martii*, *a.* CIƆIƆCCCXXXIX.

Disputationes publice vel privatim defensae sunt hoc ordine.

IN FACULTATE JURIDICA.

1838. 7 Apr. J. C. VAN DER MUELEN, *de Communione bonorum inter conjuges ad acquaestus, quae dicuntur, limitata. Priv.*

26 Apr. D. G. PESTERS, *de negotiis gestis. Priv.*

9 Maj. S. RINK, *de Uxore mercatrice.*

29 Maj. J. G. SCHUURMAN, *de natura pignoris quod creditor habet ex contractu Bodameriae. Priv.*

6 Jun. GH. L. SCHULLER, *de necessitudine cum morali tum civili inter patronum et libertum.*

6 Jun. B. VERSELEWEL VAN DER BILT, *de matre tutrice. Priv.*

7 Jun. J. P. LENS, *de servitutibus praediorum amoenitatis causa constitutis.*

8 Jun. A. G. S. VAN COOTH, *de repudiatione testium in causis civilibus. Priv.*

15 Jun. G. C. FONTEIN VERSCHUIR, *animadversiones ad art.* 886 *Cod. Nap. comparatum cum constitutionibus de eadem materia in novo codice Belgico. Priv.*

20 Jun. G. A. P. OESTER, *de legitimatione ex jure Belgico novissimo. Priv.*

28 Jun. M. DE KOCK, *de potestatis civilis episcoporum praecipue Trajectinorum in regno Francorum initiis atque incrementis.*

29 Jun. O. BRAET BISDOM, *de actione civili, quae ex damno injuria dato nascitur. Priv.*

1838. 4 Oct. J. SCHRÖDER, *de legibus et institutis in commodum mente alienatorum.*
8 Oct. D. A. JUNIUS VAN HEMERT, *de in factum actione de recepto.*
29 Oct. J. G. LANGE, *de facultate uxoris negotia civilia gerendi. Priv.*
7 Nov. G. TURK, *de patria potestate. Priv.*
22 Nov. W. C. MEES, *de vi monetae mutatae in solutionem pecuniae debitae.*
1839. 1 Febr. D. WEERTS, *de transactione. Priv.*
9 Febr. P. J. WILLEBOIS, *de jure hypothecarum.*
2 Mart. L. H. VAN ASCH VAN WYCK, *de jure et modo quo etc. Priv.*
12 Mart. J. G. VAN DER VOORT, *de fide quae mercatorum codicibus tribui solet. Priv.*
13 Mart. J. F. OP TEN NOORT, *de laesione enormi. Priv.*
14 Mart. J. HEEMSKERK, *de Montesquivio.*
20 Mart. S. J. BERGSON, *de exercitoria actione. Priv.*

IN FACULTATE MEDICA.

1838. 7 Apr. J. VAN ROSSUM, *de pseudarthrosi. Priv.*
23 Apr. J. D'ENGELBRONNER, *observationes ad morbos encephali et medullae spinalis pertinentes. Priv.*
24 Apr. J. D'ENGELBRONNER Obstetricae Doctor creatus est.
21 Maj. J. A. MULLER JR., *de habitu phtisico. Priv.*
7 Jun. J. A. VAN ROSSUM Obstetricae Doctor creatus est.
15 Jun. P. A. DE WAAL, *de morbis organicis vesicae infantum. Priv.*
16 Jun. J. A. MULLER Obstetricae Doctor creatus est.
20 Jun. D. A. HOOGBRUYN, *de encephalitide exsudativa infantum. Priv.*
20 Jun. J. H. X. JANSSEN Chirurgiae Doctor creatus est.
21 Jun. J. G. KIEN ELTEMAN, *de effectibus nocivis potuum spirituosorum in corpore humano, eorumque prophylaxi. Priv.*
23 Jun. A. G. M. VAN HASSELT, *observationes de sanguinis dissolutione et clandestina tuberculorum evolutione. Priv.*
29 Jun. J. P. TH. VAN DER LITH, *de vitiis nervorum organicis.*
22 Sept. J. P. TH. VAN DER LITH Obstetricae Doctor creatus est.

1838. 20 Oct. L. H. J. PRUYMBOOM, *observationes de ulcere noma*. *Priv.*
25 Nov. J. J. DANCKERTS, *de ratione morborum periodica.*
22 Dec. A. C. G. SUERMAN Chirurgiae Doctor creatus est
1839. 2 Febr. J. VAN ROSSUM Chirurgiae Doctor creatus est.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

1838. 20 Jun. J. G. HULLEMAN, *Diatribe in T. Pomponium Atticum.*
14 Dec. B. J. LINTELO DE GEER, *de Eumene Cardiano.* *Priv.*
1839. 14 Mart. J. HEEMSKERK, *de Montesquivio.*

QUAESTIONES,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

PROPOSITAE

SINGULARUM DISCIPLINARUM STUDIOSIS,

IN ACADEMIIS ET ATHENAEIS PATRIIS

PRO PRAEMIIS REPORTANDIS

E DECRETIS REGIS AUGUSTISSIMI,

d. 2. *m.* *Augusti* 1815. §§. 204—213 *et d.* 13. *Octobris* 1836. *n°.* 87.

QUAESTIO THEOLOGICA.

Quae, pluribus librorum *Novi Foederis* locis, relata leguntur de *duodecim Viris*, quos elegerit atque apostolica dignitate ornaverit CHRISTUS, accurate comparentur, eorumque historica fides a SCHLEIERMACHERI et STRAUSZII dubitationibus defendatur.

QUAESTIO IURIDICA.

Comparatio instituatur inter administrationem Sullii sub Henrico IV. et Colberti sub Ludovico XIV. Franciae regibus, in iis quae spectant ad prosperitatem reipublicae.

QUAESTIO MEDICA.

Exponatur, quid hodie constet de pyrogenesi? Ipsius puris proprietates ac differentiae ab humoribus analogis exhibeantur. Quaestio investigationibus propriis quantumpote illustretur.

QUAESTIO E PHILOSOPHIA THEORETICA.

Quid maxime Cicero Aristoteli in Philosophia tractanda colendisque literis debuit?

QUAESTIO LITERARIA.

Vita Q. Metelli Numidici, quae simul contineat cum Reipublicae Romanae, ejus aetate, conditionem, tum expressam ad eius exemplum patricii Romani, saeculo VII U. C., imaginem.

QUAESTIO PHYSICA.

Exponantur et e calorici theoria illustrentur variae methodi, quae adhiberi ad frigus artificiale producendum possunt.

QUAESTIO GEOLOGICA.

Quandoquidem fossiles reliquiae animalium mammalium, inprimis pachydermatum, quorum analoga genera et species hodie nonnisi in tropicis regionibus bene vivere possunt, non tantum in temperatis utriusque orbis regionibus frequenter reperiantur, sed vel in frigidissimo Siberiae climate copiosissimae adsint, et de causis quibus factum est ut hic in climate non suo nunc reperiantur, non omnes geologi eandem sententiam manifestent; quaerit Facultas, ut diversae de his causis hypotheses breviter sed accurate exponantur et cum naturae legibus, quales, ex observatione elicitas, cognoscimus, critice comparentur.

Ad quas respondendum erit a. d. 10. m. Januarii 1840, libellis aliena manu scriptis et ad Senatus Graphiarium, Virum Clarissimum N. C. FREMERY, missis.

TABULA SISTENS

NUMERUM STUDIOSORUM

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA.

a. d. 31 *Dec.* 1838.

Mathemathici et Philosophiae Naturalis Studiosi	51
Theologici	130
Juridici	96
Medici	74
Litteratores	141
	492

ACADEMIA

GRONINGANA.

Z

NOMINA PROFESSORUM,

QUI

ANNO ACADEMICO MDCCCXXXVIII — MDCCCXXXIX

RECTORE MAGNIFICO

BARTHOLDO HENRICO LULOFS,

IN ACADEMIA GRONINGANA

DOCUERUNT:

PHILOSOPHIAM THEORETICAM, ET LITERAS HUMANIORES.

C. DE WAAL,
G. WOLTERS.
J. TEN BRINK.
B. H. LULOFS.
G. J. MEIJER.
F C. DE GREUVE.
P. VAN LIMBURG BROUWER.

JURISPRUDENTIAM.

H. NIENHUIS.
J. H. PHILIPSE.
C. STAR NUMAN.

MEDICINAM.

S. E. STRATINGH.
A. A. SEBASTIAN.
J. BAART DE LA FAILLE.

DISCIPLINAS MATHEMATICAS ET PHYSICAS.

T. VAN SWINDEREN.
S. STRATINGH.
H. C. VAN HALL.
J. G. ERMERINS.

THEOLOGIAM.

J. F. VAN OORDT, J. G. FIL.
P. HOFSTEDE DE GROOT,
L. G. PAREAU.

BARTHOLDI HENRICI LULOFS,

JURIS UTRIUSQUE DOCT., IN ORD. PHIL. THEOR. ET LIT. HUM. PROF. ORDINARII,

ORATIO

DE

ELOQUENTIAE EXTERIORIS, QUAM VOCANT, INTERIORISQUE
CONSENSU, SIVE, UT *QUINCTILIANUS* SIGNIFICAT,
DE ACTIONIS SEU PRONUNTIATIONIS RATIONE,
NON ALIA ATQUE IPSIUS ORATIONIS,

DIE XI OCTOBRIS, ANNO CIƆIƆCCCXXXIX,

GRONINGAE PUBLICE HABITA,

CUM

IN ACADEMIA GRONINGANA

RECTORIS MAGNIFICI PROVINCIAM DEPONERET.

ACADEMIAE CURATORES QUIQUE HIS AB ACTIS ES, PROFESSORES, CAETERIQUE, QUOTQUOT ADESTIS, CUJUSCUNQUE ORDINIS, DIGNITATIS, AETATIS, AUDITORES AMPLISSIMI, NOBILISSIMI, CLARISSIMI, GRAVISSIMI, SPECTATISSIMI, ACCEPTISSIMI!

Maximam vim, plurimum efficacitatis ad hominum animos inesse Actioni seu Pronuntiationi, sive exteriori, quam vocant, Eloquentiae, ecquis vestrum est, Auditores exoptatissimi, quin cernat atque lubens fateatur? — « Actio » inquit CICERO: « in dicendo una dominatur. Sine hac summus Orator esse in numero nullo potest, mediocris, hac instructus, summos saepe superare. » — Neque non totius Antiquitatis ore pervulgatum est illud a DEMOSTHENE dictum; qui rogatus, quid ipsi primas in Eloquentia tenere videretur, Actionem respondit. Et cum deinde ex eo quaererent, quid secundas, Actionem iterum nuncupavit. Quin, cum tertium idem ille interrogatus esset, cuinam denique rei tertias tribueret, vel tum Actionis usurpavit nomen, hoc ter repetito vocabulo significare cupiens, quanti illum quasi corporis sermonem, uti CICERO Actionem vocavit, in arte dicendi faceret.

Quae si principis in oratoribus Graecis sententia habere quid videatur, quod plane modum excedat, nostris praecipue temporibus, quibus haud scio, an scribendo plus tribuamus virtutis quam loquendo, et an ignoremus veterum illarum concionum fluctus atque tempestates, in quae orator Graecus Romanusve, JOVIS instar tonantis, tonanti voce, altoque de suggestu, eloquentiae fulmina vibraret, nemo tamen prudens dicendi existimator negaverit, Pronuntiationi sive Actioni, etiamsi non primum, at certe non infimum locum in Eloquentia dandum esse. Quotus enim quisque est, qui saepenumero non viderit, quantum quidem in orationibus sacris vox, et vultus, et motus ad laudes valerent, ita ut vel quae minus acute inventa atque disposita verbisque sordidius vestita

viderentur, haec ipsa, dummodo bene pronuntiarentur, nescio, quibus, admirationibus, nescio, quo stupore, audientium animos percellerent? Nemo vestrum igitur miretur, Auditores, me, Magistratum Academicum per orationem depositurum, nonnulla de Eloquentia exteriore attingere levi velle digito, idque *de consensu hanc inter* et *Eloquentiam interiorem*, *sive*, ut QUINCTILIANUS inquit, *de Pronuntiationis seu Actionis ratione, non alia atque ipsius Orationis.* Qui locus si vobis aut levior quodammodo et futilior, aut jejunior aliquanto aridiorque videatur, hoc argumenti cogitetis velim mihi eligendum fuisse, quod neque a mea docendi provincia remotius, neque virium tenuitati minus accommodatum esset. Quo enim quisque viribus tenuiorem se sentit, eo prudentior sit in onere suscipiendo, quod ferre ipsius humeri fortasse recusaverint; eo magis ipsi opus est Auditorum sibi efflagitare indulgentiam. Quae hic etiam de mea Latinitate dicta sunto. Licet enim neutiquam inficias iverim, me, tanto doctorum hominum conventu atque frequentia dicturum, in elaboranda stili bonitate aliquid operae posuisse, neque negaverim equidem, exemplaria Latina hoc anno non per unum diem noctemque assidua manu a me fuisse versata, quid tamen boni, quaeso, quid probabile ex hac lucubrationum fuligine bibenda (ut FABIUS inquit) mihi enasci potuit, homini, qui quatuor et viginti abhinc annos cuncta fere Belgico sermone scribere solitus, Latine eloqui, Latine pronuntiare fere dedidicerim? In bonam proinde partem ea accipiatis, Auditores, quae vobis hic illic, aut duriuscule dicta, aut non satis genuino atque sincero Latinitatis colore tincta esse videantur, neque vos mihi, in hac mea quasi infantia, in tantoque simul luctu propter Collegae conjunctissimi (*) obitum, judices severos rugosaeque frontis, verum auditores attentos, benevolos atque dociles, quae vestra est humanitas, praebere velitis!

Paucula mihi sunt praemonenda. Ubi significo, me de consensu Eloquentiae exterioris et interioris dicturum esse, hoc, quaeso, ne sic accipiatis, ac si mihi animus sit plus quam sparsas quasdam hac de re proponere observatiunculas. Universam enim illam materiam tractare et veluti ex intimis ipsius visceribus eam eruere, non duarum horarum, sed totius diei opus foret. Quod autem

(*) Viri Cl. JANI TEN BRINK, de quo videatur inferius.

ad vocabula attinet *Eloquentiae exterioris et interioris*, quae orationi meae inscripsi, scio equidem, Eloquentiam, latius sic dictam, nunquam non corporis Eloquentiam sive *exteriorem illam*, quae a PETRO FRANCIO dicitur, complecti. Neque tamen ideo ineptiorem illam nuncupaverim partitionem, quam nonnulli viri docti inter duas hasce fecerunt Eloquentiae species. In Eloquentia quippe, sensu generaliori sumta, *Inventio*, *Dispositio* et *Elocutio*, quales Rhetoribus audiunt, difficilius separantur, et, si accuratius loquimur, unam tantum prioremque et quasi interiorem illius partem sive speciem constituunt. Nihil autem obstat, quo minus *Pronuntiationem sive Actionem*, seu (ut hodie ajunt) declamandi rationem, alteram, a priori illa distinctam eamque exteriorem, i. e. sub oculos atque aures magis cadentem, Eloquentiae speciem nominemus. Nonne enim quispiam in scribendo sive componendo, hoc est, in *inveniendo*, *disponendo* et *eloquendo*, disertissimus esse potest, qui tamen, propter corporis quoddam vitium, ea, quae elegantissime composuerit, neutiquam ore rotundo et suavi possit efferre, quique idcirco in Actione nihil excellat? Non eandem orationem alter scribere, alter pronuntiare et agere potest? — *Actionem*, inquam. Hac enim voce a CICERONE Eloquentia illa exterior, (Pronuntiationem intelligo et gestuum moderationem) designatur. *Agere* TULLIO, nec non summo illi apud Romanos dicendi magistro, MARCO FABIO QUINCTILIANO, qui hoc etiam *facere* nominat, est cum gestibus pronuntiare, sive quod hodie usitatius *declamare* seu *recitare* appellamus; unde in recentioribus Europae plerisque linguis Histriones, sive ii, qui in scena declamant, *Actores* vocantur. Cui equidem *Actionis* seu *Pronuntiationis* vocabulo non male, ut spero, *Orationis* nomen opposuerim. Etsi enim Latine *Oratio*, sensu latissimo accepta, quidquid dicitur significat, et (quandoquidem quod dicitur, hoc idem pronuntiatur) *Pronuntiationem* complecti debet, sensu tamen arctiori, et ubi eam ab Actione sive Pronuntiatione separamus, haud raro de *Elocutione*, seu de Stilo et dictione (latissime sumtis) usurpatur, i. e. de universa ratione, qua, quae a nobis, ut Veteres ajunt, primum *inventa* atque *disposita* sunt, ea verbis deinde exprimamus et quasi vocabulorum induamus vestitu.

Haec paucula habui, quae praedicerem. Rursus ad ipsam properemus Orationis materiam.

Primum carptim quaedam attingamus de Eloquentiae exterioris et interioris

consensu, quod ad ipsas attinet Oratoris et Declamatoris, uti vulgo dicuntur, personas. Quod instituenti monendum mihi in limine videtur, unicuique Pronuntiatori (*) sive Actori suam esse, a caeteris distinctam vocem vocisque moderandae rationem, quemadmodum cuique Oratori, sive, ut planius dicam, Auctori seu Scriptori, suum peculiarem Stilum. Aera tinnitu, homines sonis dignoscimus, inquit QUINCTILIANUS, et licet vox humana, e tribus constans sonis, inflexo, acuto, gravi, haud multas, quae numerentur, contineat species, ita ut sit v. c. vel candida, vel fusca, vel plena, vel exilis, vel lenis, vel aspera, vel contracta, vel fusa, vel clara, vel obtusa, et quae id genus alia sint, hae tamen species apud singulos homines mirum in modum distinctae sunt similesque humanae faciei differentiis, quae, etsi perpaucis ex partibus constat, infinitam tamen habet varietatem. Quae autem hic de voce dicta sunt, Auditores, eadem valent de toto corporis habitu, statu, incessu, motu. Nonne enim et haec apud diversos diversa? Ne multus sim: alia alius vox, alius in alio vultus et gestuum moderatio; alia apud alium Oratio sive stilus, alia apud alium Actio. — Neque necesse est, aliam alia Actionem propterea pejorem esse. Utcunque enim variant, aeque laudabiles esse possunt, laudandae vero in dispari genere, non secus v. c. ac Poëtae et Pictores, qui, uti CICERO dicit, in canendo saepe et pingendo dissimillimi sunt inter se, quamvis nihilominus par paene laus in illa dissimilitudine iis tribuatur.

Cui bono vero hae tritae observationes, quispiam vestrum, Auditores, fortasse rogaverit? Ut inde, respondeo, hoc sequi colligatis, quam ridiculos tales sese praebeant, qui in agendo, i. e. recitando, non ad boni cujusdam Declamatoris exemplum aliquantulum et quatenus naturalis ipsorum ratio id ferat, conformare sese studeant, (quod laudandum profecto) sed qui naturam quasi furca expellentes, omnem istius hominis, quem tanquam exemplar sibi proposuerint, vultum, voces atque motus servili prorsus imitatione effingere et ad unguem usque ejus in pronuntiando personam moresque induere conentur. Quod equidem imitatorum pecus non homines, sed simias agere dixerim, quamque rem appellarim dignissimam, quae non minus, quam si alius alius Stilum perfecta plane similitudine assequi velit, ab omnibus, qui emunctae sint naris,

(*) His vocabulis *Pronuntiator*, *Declamator*, *Recitator*, *Actor* etc., perspicuitatis causa uti mihi liceat, etiamsi affirmare non ausim, ea hac significatione a Veteribus semper usurpata fuisse.

exsibiletur. Etenim quis, quaeso, Declamatorem toleret, qui, jam a puero, voce peracuta et aëra secanti instructus, illecebris vero vocis cujusdam fuscae et gravioris, quam in alio admiratus fuerit, irretitus, fauces strangulet, ut e gutture imos illos eruat sonos, quos ei denegaverit natura? Aut e diverso talem minus ineptum vocaveritis, qui, voce praeditus depressa atque humillima eam in altissimos et acutissimos intendere atque adeo torquere conetur sonos, ne dicam clamores, et tam elatis uti velit modis, quibus, inquit FABIUS, vox fere rumpi periclitetur? Ut tandem finiam, in Actione pariter atque in Stilo aureum sit nobis praeceptum: naturae tuae convenienter agito!

Eandem, ut pergamus, Auditores, rationem Actionis atque Orationis in hac re conspicitis, quod ad utramque habilitas quaedam requiritur naturalis, quae tamen haud parum arte et disciplina augeri, quid? cujus vel vicem ars aliquam partem obire potest. Reperiuntur profecto stipitibus similiores quam hominibus, qui tam hebeti sint ingenio et obtuso, qui tam bardi sint, tam duri ad discendum, ut nullam unquam Stili bonitatem, quantulamcunque, assequi possint. Sic quod ad Pronuntiationem attinet, qui fauces habet, aut tumentes, aut rasas, aut convulsas (ut QUINCTILIANO dicuntur) fractisque organis similes, cui vox est aut pusilla, aut dura, aut rigida, aut praepinguis, qui ora gerit deformitate turpissima, oculos distortos, truncum corporis vel plane incurvum vel maxime gibbum, nae ille nunquam, certe difficillime, Actor exstiturus est, omnibus numeris absolutus. — Quin corporis adeo vitiosa atque rebellis natura esse potest, quae nulla omnino arte edometur. — Numquid enim putatis, Auditores, surdo-mutos, imo vel tales, qui quam optime a nostratibus GUYOTIS instituti sint, bonos unquam fieri posse Actores, i. e. Pronuntiatores sive Declamatores? — Saltatores, sive qui a recentioribus Pantomimi vocantur, eos posse fieri, facile crediderim. In mutis, inquit FABIUS, pro sermone non manus sunt solum, sed vultus, sed nutus. Atqui an unquam in aliquo numero erunt pronuntiantes? Ah miseros illos surdo-mutos, qui quos articulatos sonos, (literas volo atque syllabas) infinito emittere addidicerint labore, hos non nisi horrendo e faucibus protrudere queant mugitu ululatuque, qui per aures strideat easque nobis infringat atque divellat! — In hoc igitur non contumaciter cum QUINCTILIANO consentimus, in faciendo sive in pronuntiando, aeque atque in scribendo, primas naturae esse tribuendas, sed (ut ejusdem Rhetoris utar verbis) illi persuasione sua fruantur, qui hominibus, ut sint egregii Oratores et Declamatores, satis putant nasci. Quae humus optimas producat fruges,

non tantum suapte natura pinguis sit et fertilis, sed insuper laborari, aratro verti atque seminibus spargi debebit. Ecquidnam eum praeclarum unquam Scriptorem fore credideritis, qui, etiamsi divinioris fere ingenii facultatibus, v. c. acumine intelligendi raro, judicii subacti acritate, vivida phantasia, facili memoria eademque promta atque tenaci praeditus sit, nulla tamen disciplina has naturae dotes excoluerit, Rhetorum scholas non frequentaverit, artem grammaticam nunquam didicerit, largam verborum supellectilem et dicendi quasi silvam sibi non comparaverit, pulchritudinis sensum ad optimorum Poëtarum atque Oratorum lumina non accenderit, elocutionem sexcenties sub limam non revocaverit, aut ejus luxuriem stilo saepe vertendo non depaverit, autumatisne, inquam, ejusmodi hominem, ingenio praeclarum, arte vero rudem, Orationis suae elegantiis quemlibet lectorem, politissimum adeo, captaturum esse? — Nonne, uti CICERO dixit, vel perillustri naturae accedat necesse est ratio quaedam conformatioque doctrinae? Quod autem in Scriptore, qui ad summam perveniat laudem, urgentis est necessitatis, idemne illud in Pronuntiatore nullius erit momenti? Immo et apud hunc ars cum natura amice conspiret. Artis erit naturam expolire, illustrare, vocis v. c. bona augere atque conservare, quae obscurent Pronuntiationem discutere, sumere vero, inquit TULLIUS, quae eminentia sunt et prompta, quaeque insint Actioni vitia, quantum possit, corrigere — Quid autem valeant ars et exercitatio ad vitia ejusmodi naturalia vel emendanda, vel interdum exstirpanda et funditus tollenda, nonne DEMOSTHENIS exemplo luculentissime patet? Qui vir summus, uti notissimum, cum animam sive spiritum haberet angustiorem, cum ne primam quidem literam ipsius artis, cui studeret, recte posset pronuntiare, cum facilius concionum rumore exturbaretur atque clamoribus, cum humeros interdum jactaret, maxima contentione incredibilibusque artificiis haec naturae vitia ita correxit, ut, qui primus a populo Atheniensi explosus fuisset, nunc omnium omnino admirationibus plausibusque ad coelum extolleretur. Haec, haec, inquam, ille fecit DEMOSTHENES, quem eundem manu sua THUCYDIDIS libros de bello Peloponnesíaco octies descripsisse perhibent, quo melius dictionis Thucydideae vim atque nervos sibi in succum et sanguinem converteret. O nos recentioris aevi Pygmaeos, qui cum gigantibus illis Graecae Romanaeque Antiquitatis conferre nos audeamus! —

Ex iis autem, quae hic dixi, Auditores, nemo non videat, quid exercitationis requiratur, si quid probabiliter declamare velimus. Quotus enim quisque

est (nam libet rem exemplo illustrare, quod simul orationis ariditati flores aliquos aspergat) quotus enim quisque est, qui, nulla praeparatus disciplina, sequentes ex VIRGILII *Georgicis* recte pronuntiet versus, in quibus cumulatissimus ille laudibus scribendi artifex ORPHEA canit, cum EURYDICE sua ex inferis redeuntem, verum, animo victum, carissimam illam conjugem denuo amittentem. Neque enim inscii estis, Auditores, hanc dixisse PLUTONEM ORPHEO conditionem, ne in EURYDICEN, quae pone sequeretur, oculos ante converteret, quam ambo in superam lucem rediissent; qua ab amantissimo Poëta violata lege, EURYDICE, proh dolor, Taenarias in fauces iterum detrusa fuit.

Jamque pedem referens, casus evaserat omnes,
Redditaque EURYDICE superas veniebat ad auras,
Pone sequens — (namque hanc dederat PROSERPINA legem),
Cum subita incautum dementia cepit amantem,
Ignoscenda quidem, scirent si ignoscere Manes. —
Restitit, — EURYDICENque suam, jam luce sub ipsa,
Immemor, heu! victusque animi, respexit. — Ibi omnis
Effusus labor, atque immitis rupta Tyranni
Foedera, terque fragor stagnis auditus Avernis. —
Illa, quis et me, inquit, miseram, et te perdidit, ORPHEU!
Quis tantus furor? En iterum crudelia retro
Fata vocant, conditque natantia lumina somnus!
Jamque vale! feror, ingenti circumdata nocte,
Invalidasque tibi tendens, heu non tua, palmas!

Ecquis, quaeso, hosce versus bene, i. e. sexcenties melius, quam ego hic quidem feci, pronuntiet, nisi singulorum vocabulorum sensum atque vim antea ponderaverit, nisi animo cernat vividisque coloribus sibi depingat infelix illud par amantium, citato gressu in lucem properans, ORPHEA, eheu, ocius quam fas sit, respicientem, Avernum, horrendo fragore contremiscentem, EURYDICEN flentem, manus frustra tendentem, desperantem, atque tandem aeternas in tenebras de integro evanescentem? — Quamobrem ne reprehendatis me, Auditores, qui interdum his illisve discipulis subirascar, sine ulla praevia exercitatione manibusque quasi illotis ad declamandum hujus illiusve aut Oratoris aut Poëtae locum illustriorem festinantibus, et nonnunquam audacius id sibi recitandum sumentibus, quod antea ne legerint quidem,

nedum perlegerint atque edidicerint. Nec an jure nobis inde colligere licet, summum Actorem virum esse debere, ipsum non mediocri ingenii acumine praeditum, ita, ut, etiamsi ipse neque poetae neque oratoris laudibus floreat, sensu tamen poetico et oratorio non plane sit destitutus? Quae res mihi in causa esse videtur, cur, teste jam CICERONE, clarorum Histrionum numerus ex omni temporum memoria tam fuerit exiguus. Multi inter hos scilicet Clamatores, pauci Declamatores exstiterunt. Nolite enim putare, Auditores, vocem maximam et quasi STENTORIS, quae dicitur, fauces immanes, latera robustiora, totiusque corporis gladiatoriam illam firmitatem, quae a TULLIO in Philippicis MARCO ANTONIO tribuebatur, ad bene pronuntiandum sufficere! Accedat ingenium perspicax, accedat intimus animi sensus et pulchri amor, accedat memoria, accedant quotidie repetitae exercitationes, accedant — quid? primas teneant haec et centum alia. Ecquis, quaeso, SHAKESPEARII, VONDELII, RACINII, SCHILLERI aliorumque versus tragicos bene pronuntiaturus est, qui divinioris illos ingenii viros non penitus intellexerit? Quae intelligentia, quam paucis sit data, non est, quod longis verborum ambagibus persequi conemur.

Reapse docemur, Auditores, et ab omnibus praecipitur Rhetorices magistris, ut, dicturi, semper nobiscum reputemus, qui simus, qui dicamus; quamobrem pro vario atque diverso Oratorum genere non minus varia et diversa scribendi sit ratio. Quis enim asserendum sibi sumserit, Oratori sacro, sublimiores tractanti scriptorum divinorum locos, eodem scriptorio calamo utendum esse, quem nonnunquam causarum adhibeat Patronus, cum in re humillima de hoc illove stillicidio v. c. versatur? Aut quis in dicendi genere deliberativo, quod vocant, ubique dictionem amet, grandi et ornatae voci Poëtae tragici simillimam? Ut paucis rem absolverim, alia atque alia Oratoris sit Elocutio sive Stilus in demonstrativis, deliberativis et judicialibus, alia denique in Oratione soluta, alia in ea, quae Poëseos numeris atque vinculis ligata est. Hoc autem praeceptum, Auditores, quod ad dicendum, i. e. scribendum seu componendum, maximam sine dubio obtinet partem, nonne idem plurimum habeat efficaciae ad agendum, id est, ad pronuntiandum seu recitandum? Imo vero, pro diversa Oratoris persona, quam sustinet Declamator, diversa sit illius in pronuntiando gestibusque moderandis ratio. Orator v. c. sacer in actione sua sit gravior, modestior,

severior. Ne affectuum turbine abripi patiatur; ne immodicae frena laxet concitationi; ne manuum artificia, ne digitorum persequatur argutias, ne crebriori utatur gestu. Quemadmodum in ejus Stilo, sic in ejus Pronuntiatione ardeant, ferveant quidem multa, sed ita, ut ardor gravitate temperetur et pia quadam verecundia. Quae non minus Oratori erunt observanda, qui apud tribunalia dicat, etiamsi forte huic incitatius interdum simulque asperius et contractius pronuntiandi genus concedamus, neque semper ille, tum in dicendo, tum in faciendo, (uti hoc a FABIO nonnunquam vocatur) i. e. declamando, ejusdem adstrictus sit legibus gravitatis, quam inter Praeconis Divini virtutes palmariam et omnium caeterarum propemodum caput judicaverim. Uterque vero, et Divini verbi Minister, et causarum Patronus, quibus plerosque reliquos addatis Oratores, quidquid nimis scenicum est, respuant. Non Comoedum te esse, sed Oratorem volo, inquit QUINCTILIANUS; neque minus egregie CICERO distinxit inter Oratores, quos nempe ipsos veritatis *actores*, et Histriones, quos ejusdem veritatis tantum *imitatores* appellaret. — Sicut igitur a magnifica et splendida Poëtarum tragicorum elocutione imitanda sese abstineat ille, qui Prosa oratione aliquid conscribat, ita longe alia sit agendi ratio in Theatris, quam in suggestibus Oratoriis. Histrioni seu Scenico v. c. licuerit et satagere nonnunquam, et ambulare, et procurrere, et resilire, et in acutissimos erumpere sonos, et quasi furere atque bacchari, haeccine vero Auditores, in eo, qui coram judice dicit, aut qui orationem edit sacram, jure non reprehendetis? Sine dubio! Quo facetius mihi TULLIUS rabulam quemdam de foro, satis mobilem et inter disputandum hic illic discurrentem, subridens fertur rogasse, quot millia passuum declamasset. — Cui dicto non dissimile est illud a CAJO JULIO, cum ex CURIONE, qui, causam agens, toto corpore in utramque partem vacillaret, ironice quaereret, num e lintre (i. e. navicula) loqueretur. Satis ardua autem quaestio est, quoad nobis Oratoribus, sive, ut generalius loquar, quantum seu quatenus nobis, extra scenam recitantibus, concessum sit Histriones in agendo imitari; namque et Oratorem horum ad exemplum aliquantulum componere se posse, et ex re scenica contemplanda, aeque atque ex Poëtis tragicis et comicis legendis, fructum qualemcumque in eum redundaturum esse, quis vestrum non viderit? Et quis inter vos CICERONIS non meminerit, ROSCII, qui Scenicus tunc temporis clamores, uti Veteres dicebant, *Romae* faciebat, (*far furore* Itali recentiores hoc vocant) ROSCII, inquam, artificia plus semel

futuro Oratori imitanda proponentis, ejusque viri, ipsi amicissimi, exemplo, tum ad Orationem, tum vel maxime ad Actionem, interdum sese tuentis? — In qua disquisitione mihi accuratius distinguendum videtur inter diversi generis Oratores. Nimirum et hic res in Actione perinde est ut in Stilo. Sicuti enim Stili sive Compositionis quoddam est genus insigne et florens, pictum et expolitum, quod CICERO vocat, in quo omnes, inquit, verborum, omnes sententiarum illigantur lepores, et quod, dum magis voluptati servit quam veritati, praeceptis illis Stili severioribus non tenetur, sic aliquoties etiam reperitur Actio, quae ipsius recitationis tantummodo et aurium mulcendarum causa instituatur, quaeque et commotior sit et propius ad scenicum recitandi genus accedat, quae gravioris in faciendo, i. e pronuntiando, Oratoris ratio. Huc referatis, si extra scenam versus quosdam ex hac illave tragoedia declamamus, aut fabulam aliquam Romanensem, metro ligatam, cujusmodi sunt v. c. complures SCHILLERI, GOETHII, BILDERDIJKII aliorumque. Quanto magis Scenicis esse nobis licebit, tali occasione agentibus, quam si aut verba faciemus pro sacris rostris, aut causam aliquam forensem, aut disceptationem quamdam de republica moderanda pronuntiabimus! Atqui tamen vel in hoc liberaliori (quod sic appellem) et laxiori agendi genere ea fugiamus, quae soli scenae accommodata sunt, v. c. fictas effundere lacrymas, in genua procumbere, frontem percutere, pectus ferire, caput, ut FABIUS inquit, furiosi instar rotare, comam evellere, pedibus supplodere, et quae id genus in scenis agantur alia. — Imo, quidquid declamemus et quovis hoc fiat loco, cautio sit nobis, ne, dum animi sensus affectusque vehementiores exprimere velimus, hujusmodi vultus exhibeamus distortiones, boantes ejusmodi ejaculemur clamores ululatusque, corporis motus ostentemus tam difformes, quibus infantulis mulierculisque pavor, caeteris vero spectatoribus risus moveatur, quaeque magis ebriosi cujusdam commissatoris, quam sana mente viri esse videantur. Quae in Histrione, scenae praestigiis circumdato, ludoque tragico circa eum ferveate, si vix aut ne vix quidem tolerentur, in Pronuntiatore, quem ne umbra fere illarum praestigiarum adjuvet, summo jure vituperanda esse, quisquamne inficias eat?

Haec autem, quae leviter adumbravi, Auditores, satis sint de Eloquentiae exterioris et interioris consensu, quod ad ipsorum, qui dicunt et agunt, i. e.

pronuntiant, personas, quas vocant, attinet. Prolatis hac in parte a me non pauca addi possent, nam v. c. nihildum, ne verbum quidem, de Horatiana illa dixi regula: si vis me flere, dolendum est primum ipsi tibi, quae communiter et in Auctore vera est et in Actore. Cui consentiens CICERONIS est locus, docentis: « fieri non posse, ut oderint, ut invideant, ut pertimescant, ut ad fletum misericordiamque deducantur ii, qui audiunt, nisi omnes illi motus in ipso Oratore impressi atque inusti videbuntur. »

Eo magis igitur, Auditores, in Pronuntiatione non secus atque in Stilo per nobis placebit quidquid non falsa simulatione effictum, sed ex ipsa natura arreptum, expressum, haustum erit, cum in ambobus e diverso ea perhorrescemus, quae non vera animorum inflammatione, uti TULLIUS dixit, existunt, nihilque in se habent, quod imo ex pectore emanatum sit. Pectus est quod disertos, pectus est idem, quod egregie declamantes facit. Ut quisque maxime commotus erit ipse, ita facillime alios movebit. Ecquid novistis fabulam illam sive historiolam, ab AULO GELLIO nobis servatam, de veteri quodam Graeco Histrione, POLO nominato? Qui in tragoedia SOPHOCLIS *Electra*, ELECTRAE personam agens manibusque urnam tenens, qua dilectissimi fratris ORESTIS ossa contineri dicebantur, adeo voce, vultu, motu, collacrymatione denique miserabilis fuit, ut omnibus spectatoribus fletum excuteret atque singultus Quid mirum? Infelix iste pater, aliquot diebus ante, morte filium amiserat carissimum, cujus urnam, ac si ORESTIS reliquiae essent, gestans, ELECTRAEque quasi dolorem referens, suos ipsius tristissimos sensus, suum ipsius acerbissimum luctum exprimebat.

Satis superque audivimus, Auditores, quippe multorum Rhetorum vocibus pervulgatum est, compositionem sive Orationem, perfecta quae sit, 1) emendatam esse debere seu puram, 2) dilucidam seu planam et perspicuam, 3) atque pulchram denique sive ornatam, qua postrema virtute habilitas, quae dicitur, Stili continetur. Ad Orationis autem munditiem, quod profecto neminem vestrum fugit, postulatur, ut v. c. leges ne infringantur Grammatices, ut vocabulorum servetur integritas, neve haec aliqua sua parte fraudentur, aliis verbis, ut ne Stilus metaplasmis scateat, qui tantummodo aut orationi, numeris adstrictae atque devinctae, aut sermonis velocitati familiaris dandi sint; ut nulla locutione insolenter nova, nulla obsoleta,

aut spuria, aut hybrida, aut barbara id quod scribamus commaculetur; ut vocabula expungamus, a vulgari genere Orationis et a consuetudine communis sensus abhorrentia et duntaxat cuidam provinciae, vel urbi, vel illi denique soli, qui ea adhibet, propria; atque quae plurima id genus alia sunt. Elocutionis sive Stili promovetur perspicuitas vocabulorum delectu, quae ab unoquoque intelligantur, periodorum structura facili et nusquam perplexa, nexu nervisque et brevitate in iis servandis, ne de pluribus hujuscemodi aliis Stili loquamur dotibus cautionibusque, simulque ut ipsarum taceamus perspicuitatem idearum, cunctae reliquae perspicuitatis fundamentum. Quod Orationis spectat elegantiam, ad hanc nobis opus esse novistis, ut emendate non tantum et dilucide, verum et graviter et suaviter scribamus, quam in rem tum apte cadens numerosaque membrorum in periodis dispositio, tum lumina, quae dicuntur, verborum et sententiarum, tum translationum lepores innumeraque alia inserviunt.

Ecce, Auditores, haec trita sunt et sexcenties dicta, sed videatis, quaeso, quam mirifice cuncta haec et singula praecepta etiam in Pronuntiationem quadrent. Minorisne enim in Actione, quam in Stilo illustramentum ducetis, ut sit emendata, dilucida, pulchra? Nonne aeque pertinet ad Pronuntiationis atque ad Elocutionis castitatem, ut nullam oleat peregrinam insolentiam, nulla in ea ut resonet rusticitas? Quod enim CICERO in oratione pro ARCHIA narrat, METELLUM PIUM vel exteris Poëtis, pingue quoddam sonantibus et peregrinum, aures dedidisse, modo suae laudes ab illis celebrarentur, id cuique profecto non placebit. Quis in Declamatorem stomachosior non sit, qui in Belgicis recitandis versibus non ad pronuntiandi usum, inter cultiores et urbanos patriae incolas receptum, sese conformet, sed dialecto utatur, qua Amstelodami v. c. ancillulae famulive in plateis uti solent? Quis Pronuntiatorem habeat probabilem, vocabula (qua in re, festinationis gratia, in sermone quotidiano et domestico connivetur) curtantem, eaque subinde suis literis, syllabis adeo, fraudantem? Quis, inquit TULLIUS, literas putidius exprimi velit, aut verba exiliter animata exire, aut inflata et anhelata gravius? Num quis obsoletam amet Actionem et barbaram, qui Stilum odio habeat, hisce vitiis inquinatum et turpiter deformem? —Neque minus deinde ad perspicuitatem concordant Orationis atque Actionis praecepta. Elocutionis sive Compositionis caput sit dilucide scribere, Pronuntiationis caput est dilucide agere, imo, quod

QUINTILIANUS docet, non satis esse, ut Scriptor intelligatur, sed efficere eum debere, ut prorsus non intelligi nequeat, hoc idem nihilo minoris est momenti in arte pronuntiandi. Et qui pronuntiat, is primum curet, ut ab omnibus audiatur, ut Pronuntiatio sit distincta, neve nimia volubilitate cuncta confundantur, e contrario, ut, quae efferri debebunt verba, tota ex ore exierint, — quod os planum sive explanatum habere Veteres appellarunt. — Ne tamen idcirco habetote, Auditores, singulas audientibus literas imputandas ac veluti annumerandas esse! Etenim hoc et molestum est et odiosum, idemque pronuntiandi genus affectatum omnemque suavitatem auferens, potissimum quando, ut in vernacula, proh pudor, nimio frequentius quam ut par sit, usurpari solet, hujusmodi separantur atque divelluntur literae, quae coalescere debeant unoque juncto sono sint pronuntiandae, quales sunt v. c. *ng*, *sk* aliaeque apud nos Belgas complures. Quo referatis illud praeclare a QUINCTILIANO dictum, ubi ait, distinguendi virtutem magnum Pronuntiationis esse illustramentum, distinguenda vero ea nobis esse, quae distingui debeant.

Haec hactenus de perspicuitate et castitate cum Orationis, tum Actionis; quas nisi magnas jam fatear esse partes, amens sim, sunt tamen, multo majoris momenti aliae. Etenim, Auditores, aperte dicere et emendate approbationes movent, admirationes, uti CICERO inquit, clamores, plausus nondum movebit. Nae, ut in Oratore tota exhorrescat concio, ut, stupore perculsa, agentem intueatur, ut in iis quae dicat, exclament omnes, ut eum quasi Deum inter homines habeant, ad haec, in Actione non secus atque in Oratione, pulchritudo, concinnitas, illuminatus dicendi et pronuntiandi modus, uno verbo ornatus, qui a CICERONE vocatur, requiruntur. Huic autem ornatui naturam suffragari debere voce magna, splendida, facili, beata, clara, crystallina, canora, aëra secanti auribusque sedenti, quid est, quod commemoremus? Artis vero erit et disciplinae his naturae bonis (quibus caeteri qui sint corporis habitus et motus probabiles addantur) hunc in modum uti, quo in agendo et varietatem assequamur, et aequalitatem, et habilitatem, quae gravitatem similesque dotes complectatur. Harum enim virtutum corona Actionem non minus quam Elocutionem illustrat. — Varietatem primum volo. Nonne enim, quemadmodum ars variandi Stilum lectoribus multum affert delectamenti, sic ars variandae vocis cum gratiam praebet atque renovat audientium aures, tum

dicentem ipsum operae mutatione recreat? Qui vero omnia, uti innuit FABIUS, una spiritus ac soni intentione pronuntiabit, is profecto aut somnum pariet, aut satietatem, ne fastidium dixerim et nauseam. Quorsum etiam spectat, quod praecipit CICERO, ut admiratio et summa laus in dicendo umbram habeat aliquam atque recessum, quo magis id, quod erit illuminatum, exstare atque eminere videatur. Idemne, quaeso, minus proficiet ad facultatem pronuntiandi, quam ad Elocutionem? Quid causae sit, cur negemus? Neque non, testante eodem TULLIO, hoc optime perspexisse visus est ille supra memoratus ROSCIUS, omnium sui temporis artificum *Romae* multo laudatissimus, et ipse, *Lutetiae Parisiorum* cum essem, plus semel admiratus fui in celebrato TALMA, qui Histrionum Franco-Gallorum facile princeps et erat et habebatur. Ne proinde, uti QUINCTILIANUS significat, omnia aut clamose dicamus, aut intra loquendi modum quotidianum. In primis etiam illud vitemus cantandi vitium, quod ingratius dicam an foedius? Etiamsi enim neutiquam negamus, (quod et ipse CICERO affirmavit) in Oratione, sive planius ut loquar, in Pronuntiatione, aliquem cantum esse obscuriorem, caveamus tamen, ne obscurior ille cantus, qui in versibus recitandis tragicis et orationibus gravioribus hic illic aures permulserit, in canticum prorsus deflectat, neve, imo, cum in minutis apud tribunalia causis versemur, disputatiunculas nostras voce tam flebili recitemus, ac si lugubres ejulemus naenias sive psalmodias in pompa quapiam funebri. —

Quamquam igitur, Auditores, uti in Actione, ita in Oratione, varietati magnas tribuimus partes, haec tamen varietas eo usque extendenda non est, ut aequalitatem prorsus negligamus, quae in ipsa illa varia et multiplici, tum scribendi, tum agendi ratione, semper dominetur, necesse est cujusque ex legibus v. c. Pronuntiatio imparibus sonis atque spatiis subsultare non debet, neque aut tardior esse, aut ocior, quam fas sit. Admiramur v. c. in SALLUSTIO, Historico Romano, immortalem Stili velocitatem (sic FABIUS), nimis raptim vero scribere et incisim, sicuti quorumdam recentiorum Franco-Gallorum est vitium, habet quod lectorem fatiget, praeproperaeque finitimum est satietati. Similiter laudandus nobis erit Pronuntiator, cujus neque nimia tarditas segnitie animos solvat, neque in agendo immodica volubilitas cuncta ita confundat, omnis ut pereat distinctio et gravis affectus. Promtum sit os, inquiebant Veteres, non praeceps, moderatum, non lentum! —

Quod ad suavitatem attinet, Auditores, haec pariter Pronuntiantem illustrat ac Scribentem seu Componentem, imo, ut accuratius cum TULLIO loquar, tota propemodum ex ore exit, tota fere est Pronuntiationis. Longe enim hoc a nobis absit, ut putemus, Oratori satis esse ferire aures easque percutere. Minime gentium! Sunt hae, quarum judicium, teste CICERONE, superbissimum est, etiam oblectandae et mulcendae. Quamobrem apud Romanos ENNIUS in CETHEGO laudavit, quod suaviloquenti fuisset ore, neque minus in CATULO jucunda celebrabatur litterarum appellatio. Justo equidem titulo! Nonne enim pessima res est, (quod CICERO in nonnullis suae aetatis oratoribus aegerrime tulit) si nequaquam loqui, sed canum instar latrare videmur? Attamen quis vestrum simul sibi persuasum non habebit, cautionem nostram esse, ne, dum suaves esse velimus, affectati fiamus? Nimis frequens vitium et pervagatum, quod incertum habeo, magis ridiculum sit an foedum ac turpe! Equidem pronuntiandi multo malim quandam rusticitatem vocemque agrestem, dummodo naturalis sit, quam putidas hasce elegantias falsamque suaviloquentiae imitationem. Hoc autem non tantum monitum esse velim de literarum appellandarum et pronuntiandarum ratione, sed de omni vocis et gestuum moderamine. Similiter ac quisque intelligens dicendi existimator Stilum oderit fucatum, mendacibus pictum coloribus, atque a naturali remotum simplicitate, sic idem pronuntiandi rationem respuet nauseabundus, e longinquo quaesitam, et ultra quam decet artificiosam. Color, tum in Elocutione, tum in Pronuntiatione, sit genuinus atque sincerus. Ficti vel candoris vel ruboris medicamenta (sic CICERO) repellantur. Neque Oratio, neque Declamatio decoctam prae se ferant speciem nimisque conditam. Ne igitur in voce susurrum muliebrem aut mollitiem aucupemur effeminatam, ne vultuosi, quod FABIUS vocat, simus, ne in gestibus digitorum persequamur argutias, ita ut, quae dicamus, semper manu quasi in aëre depingere, et, Saltatorum sive Pantomimorum instar, digitis omnia exprimere velimus. Verbo, ut quae supra dixi repetam, naturae, arte tantummodo subactae atque politae, semper convenienter et congruenter agamus!

Magnopere porro Pronuntiationis sive Actionis adauget pulcritudinem, ut, dum subinde variet, in hac varietate ad Stili sit apta speciem, cui accommodetur, id est: ut modo fere intra domestici sermonis limites

consistat, modo caput in altum extollens, tonet, fulminet, tempestatisque veluti cursu atque sonitu feratur. Quod cum hic memoramus, eo ipso ducimur ad tripartitam illam Veteribusque celebratissimam Stilorum sive dicendi generum divisionem, secundum quam Oratio est aut simplex sive tenuis, humilis, subtilis — aut ampla, copiosa, gravis, sublimis — aut inter haec duo extrema haesitans, media, mediocris, sive temperata. Tenetis autem omnes, Auditores, quam egregie diversorum horum generum indolem descripserint, ne dicam depinxerint, prisci illi viri, CICERO in primis et QUINCTILIANUS. — Quotus enim quisque vestrum ignorat, Stilum, quem tenuem diximus, a CICERONE nonnullis comparari mulieribus, inornatis his quidem, neque margaritis et calamistratis capillis gloriantibus, sed in quibus ipsa illa ornatus absentia, modo elegantia remanserit et munditiès, habet aliquid quod delectet, quod deceat, quod incompta placeat venustate? QUINCTILIANUS autem, uti novistis, grande, grave, sive vehemens et sublime dicendi genus amnem appellat, qui saxa devolvat, qui pontem indignetur, qui ripas sibi ipse faciat, qui multus et torrens omnes, vel contra nitentes, feret cogetque ire, qua rapiat. — Quod denique ad temperatum attinet Orationis sive dicendi genus, illud, ut Veteres declarabant, quoddam est interjectum intermedium, nec acumine posteriorum, nec fulmine utens priorum, ita ut, cum amborum sit vicinum, utriusque sit particeps, et uno, qui dicitur, tenore in dicendo fluat. Haec autem Veteribus usitatissima partitio, cum tribus Oratoris officiis cohaerens, ut persuadeat, ut delectet, ut flectat, et in ipsius Eloquentiae natura fundamentum habet, et ad hunc usque diem variis dicendi generibus applicari potest. Etiamsi enim complures aliae a Rhetoribus enumerantur Stili divisiones, secundum quas est vel aridus sive siccus, vel floridus, vel fervidus, vel concitatus, vel periodicus, vel incisus, vel jocosus etc. hae omnes tamen species in triplicem illam partitionem, tanquam aliquot rivuli in unum ejusdem fluminis alveum, sese exonerant, seu potius non nisi trium quasi colorum principalium adumbrationes vocandae sunt.

Videatis autem velim, Auditores, quam mirus hic obtineat consensus Pronuntiationem inter et Orationem! Num quid enim similiter omnem Pronuntiationem sive Actionem, imo, si hanc per se et ab Oratione separatam consideramus, summo jure tripartitam dicere non possumus, ita ut in universum heic sit summissa atque tenuis, illic vehemens gravisque, alio loco inter has ambas interjacens, mediocris et temperata? Quae enim plura ab his delapsa sunt genera,

lene, asperum, contractum, diffusum, continente spiritu intermissum, fractum, scissum, flexo sono attenuatum, inflatum similiaque, quae a CICERONE enumerantur, haec tria illa quodammodo tantum variant. Verum enim vero, ut ad Actionis, quae dicitur, habilitatem, de qua nobis sermo erat, redeamus, quis non videt, quanti intersit boni Pronuntiatoris ante inquirere, quam declamet, ad quodnam trium horum generum Actio in hac illave Oratione ejusque partibus pronuntiandis referenda esse videatur? Etenim hoc propemodum *Inventionem* appellaverim et *Dispositionem* in arte pronuntiandi, neque non hac in re Musici nobis imitandi sunt, qui libellis musicis inscribere solent, quos numeros et modos, vel flebiles, vel laetos, vel graves, vel jocosos, vel lenes, vel concitatos, vel complures alios, aut in canendo observare debeant, aut in fidibus tractandis; quod vocabulis, ex Italorum lingua desumtis, cujusmodi sunt *adagio*, *allegro*, *maestoso* caeteraque similia, indicare ipsis mos est. Non secus enim Orator ad marginem orationis vel carminis sibi annotet, quid submissius, quid fortius, quid gravius, quid levius, quid severius, quid hilarius, quid negligentius et incomptius, quid ornatius denique et elegantius sit pronuntiandum. In quibus omnibus anquirendis, Auditores, quaevis Actio (ut terque quaterque hoc moneam) ad naturam revocanda est. Nimirum, cum ex gr. aut aliquam CICERONIS orationem, aut (ut ad leviora, nec tamen eo faciliora descendamus) quampiam narratiunculam, hanc illamve fabulam Milesiam sive Romanensem, poëticis numeris vinctam, in qua plures inducuntur homines loquentes, recitare volumus, nosmet ipsi rogare debemus, qua ratione CICERO hanc pronuntiasset orationem, quomodo in vita communi, ubi revera res, qualis in illa narratur historiola, accidisset, hanc cum aliis communicaremus, quaenam verba homines illi ficti ederent, quibus uterentur vocibus, quo vultu, quibus gestibus. In hoc, a natura, ut ita dicam, posito nobis fundamento, artis aedificium deinde exstruendum est, atque ita, ut naturam, nec crasse, nec crude, sed ad pulchritudinis cum veritate conjunctae normam, imitantes, eam modo intra arctiores coerceamus limites et non nihil quasi attenuemus, modo ultra suos fines extendamus, augeamus, amplificemus; — quid quaeritis? ut e natura non quaelibet sumentes, illa tantum, quae in ea pulchra habeantur,

Actione nostra effingere conemur, et omnia quae declamemus, ad pulchritudinis illam, mortalium animis insitam speciem et quasi ultimam formam, uti CICERO dicit, redigamus. Quibus rebus observatis, neque veritate carebimus, neque ultra quam satis est et contra quam decet naturales erimus. Etenim, ut posterius paulo magis illustrem, sic v. c. non flebimus, quando alium flesse, non humi procumbemus, quando alium humi procubuisse narrabimus, non tenui mulieris utemur voce et exili, quia verba pronuntiabimus, quae ex femineo ore exire censebuntur. Num quis enim narrator sermone familiari illud faciet, et quotus rei quisque peritus est, qui non sentiat, quam rectissime QUINCTILIANUS praeceperit, ne tremula voce et effeminata senem vel mulierculam imitaremur, neve in describendo alicujus supplicio vocem erueremus, qualis dolore extorqueri solet? Istuc vix Scenico, nedum Declamatori, multo severioribus legibus adstricto, permiserim. Quare haud minus vel eum satis ridiculum habuerim, qui in praelegenda tragoedia fauces strangulet, ut pro diversis, qui loquantur, fabulae actoribus, variam atque diversam adhibeat vocem. Hoccine enim unquam fiat, nisi repugnante natura, et non illud magis cujusdam scurrilis ventriloqui, quam honesti Declamatoris esse videatur? In diversis tantum (ut praeter propositum hoc attingam) indicandis fabulae actoribus sive personis varietatem aliquam, quod ad quantitatem, rarius, quod ad qualitatem attinet vocis, adhibitam velim; quapropter ex gr. in pulcherrimis, quos paulo ante ex VIRGILIO recitavi versibus de ORPHEO et EURYDICE, infelicissimae conjugis lamentationes gemitusque: *Illa, quis et me etc.* debiliori vocis sono pronuntianda mihi videntur et languidiori, quam si qua essent, quae ORPHEUS effudisset.

Sed quo nos aufert, Auditores, digressionum faciendarum pruritus? Vela contrahamus, neque longius a portu aberrantes, ad tripartitam Orationis unaque Actionis divisionem redeamus! Nemo quisquam igitur non intelliget, quantopere CICERONIS effatum, eum vere Eloquentem praedicandum esse, eum omne tulisse punctum, qui *et* humilia subtiliter, *et* magna graviter, *et* mediocria temperate posset dicere, i. e. scribere, quantopere, inquam, hoc effatum etiam Pronuntiatorem attingat, cujus summa laus haec sit, ut nunc tenuiter et simpliciter, nunc elato et grandi modo recitet, nunc inter haec duo

extrema gradum sistens, medium occupet locum, quique prius semper, quam ad recitandum procedat, secum reputet, quos, ut sic dicam, pronuntiandi modos numerosque adhiberi oporteat. Ponamus v. c., ipsi recitandum esse fervidissimum illum CICERONIS locum e *Verrinis*, ubi GAVII, civis Romani, nefandum describitur supplicium, nonne hic, ut Actio consentiat Stilo, admodum grave et vehemens fulminibusque, quemadmodum ARISTOPHANES dixit, simile pronuntiandi genus desiderabitis? Certe, in hoc CICERONIS loco, uti indignationis, commiserationis atque horroris plenissimus est, ita a verbis *« arde- « bant ejus oculi, toto ex ore crudelitas eminebat »* cum crescente Orationis impetu crescat et impetus et tanquam furor Actionis, donec ad culmen pervenerit in climace sive gradatione illa notissima: *» facinus est vinciri civem « Romanum, scelus verberari, prope parricidium necari, quid dicam, in crucem tolli. »* A quo declamandi genere grandi et robusto non longo intervallo distet illud, quo utendum nobis erit, pronuntiaturis TULLII Orationem pro MILONE, in Epilogo cum primis, ubi summus ille inter Romanos dicendi artifex MILONIS futurum e patria depingit discessum atque a lacrymis vix temperare potest. Hic modo vehemens, modo flebilis et miserabilis adhibeatur pronuntiandi ratio. Sed sexcentos alios ejusmodi ex CICERONIS Orationibus adduxerim locos, in quibus omnibus ad sublimitatem eniti Declamatio, et, perinde atque ULYXIS facundia, quam cecinit HOMERUS, tum copia, tum impetu nivibus hibernis par esse debet. Quod (ut ex Poëseos pomariis aliquid exempli proferam) non minus nobis cordi sit, recitantibus nonnullas HORATII Odas, v. c. sublime illud et grande NEREI vaticinium de excidio *Trojae*, ubi in PARIDEM, HELENAE raptorem, sic invehitur Deus:

. . . . Mala ducis avi domum,
Quam multo repetet Graecia milite etc.

praesertim in versibus, cujusmodi sunt sequentes:

Eheu, quantus equis, quantus adest viris
Sudor, quanta moves funera Dardanae
Genti! Jam galeam Pallas et aegida
Currusque et rabiem parat.

et paulo post:

. . . . Ecce, furit te reperire atrox
  Tydeides, melior patre!
Quem tu, cervus uti vallis in altera
Visum parte lupum, graminis immemor,
Sublimi fugies mollis anhelitu etc.

aut paulo ante:

. . . . Tamen, heu, serus adulteros
Crines pulvere collines!

cui praeclaro carmini addatis, Auditores, Oden, magna sonantem, in qua PINDARI laudes celebrantur:

Pindarum quisquis studet aemulari etc.

ubi comparatio illa sublimis:

Monte decurrens velut amnis, imbres
Quem super notas aluere ripas,
Fervet immensusque ruit profundo
          Pindarus ore.

aut ex alia HORATII Oda hanc apostrophen ad Romanos:

Quoquo scelesti ruitis? Aut cur dexteris
  Aptantur enses conditi?
Parumne campis atque Neptuno super
  Fusum est Latini sanguinis?

et haec deinceps:

Furorne caecus, an rapit vis acrior?
  An culpa? Responsum date!
Tacent et ora pallor albus inficit
  Mentesque perculsae stupent.

compluresque alias odas. — Is vero Declamator mihi demens videatur, qui, buccas inflans, iisdem plenis, ut ajunt, tibiis, eodem pronuntiandi impetu atque veluti sonitu uti velit, recitans FLACCI ad LICINIUM Odam, mediocritatem extollentis:

Rectius vives, LICINI, neque altum
Semper urgendo, neque, dum procellas
Cautus horrescis, nimium premendo
Littus iniquum etc.

quae, ut temperatiori Stilo scripta est, ita temperatum agendi genus desiderare videtur; pariter ac plurima in CICERONIS Oratione pro MARCELLO, v. c. ubi bellicae CAESARIS laudes atque clementia inter se comparantur, quamquam et illic nonnulla inveniuntur, quae in sublime dicendi genus tendant. Exordium contra Orationis pro ARCHIA: « *Si quid est in me ingenii, Judices, quod sentio quam sit exiguum, aut si qua exercitatio dicendi, in qua me non infitior mediocriter esse versatum, aut si hujusce rei ratio aliqua, ab optimarum artium studiis atque disciplina profecta, a qua ego nullum confiteor aetatis meae tempus abhorruisse, earum rerum omnium vel in primis hic* A. LICINIUS *fructum a me repetere prope suo jure debet*, nonne summisse, tenuiter, exiliter, subtiliter, dubitanter atque haesitanter pronuntiandum est, ita ut Actio, aeque ac Stilus ipse, rivuli instar fluat, leniter murmurantis, nec usquam undas ambitiosius agitantis? Quis, quaeso, hic vocem tonantem, quis expansorum gestuum aut impetum ferat, aut majestatem? Quis hic Actionem non abominetur, procellae quasi cursu atque fragore proruentem? — Pleraque generalius Exordia, ut Sermonis, ita etiam Declamationis tenuitatem amaverint. Quod dum monemus, Auditores, oratio nostra sponte eo delabitur, ut paucis delibemus consensum, qui obtinet et quem obtinere expedit Stilum inter et Actionem, ad diversas quidem orationum partes. Vos omnes e Rhetorum scholis accepistis, omnem Orationem in quatuor praecipuas divisam esse partes, quae *Exordii* (cui argumenti propositio subjiciatur), *Narrationis*, sive, ut universe dicam, rerum expositionis, *Probationis* (quae et *Confirmationem* complectitur et *Refutationem*,) postremo *Conclusionis*

seu *Perorationis* sive *Epilogi* appellationibus insigniuntur. Neque minus bene profecto tenetis, singulis hisce partibus suum in genere peculiarem Stilum esse dandum, suam, a caeteris sejunctam Elocutionis rationem, suum, ut sic dicam, varium atque non unum colorem, ita ut v. c. aliter in initiis scribamus quam in conclusionibus, aliter, cum narramus, aliter, cum nobis aliquid probandum est. Sed quid hic millies dicta repetam? Significare tantum volo, iisdem fere praeceptis, quibus Compositionis differentiae hic regantur, etiam teneri Actionem. Sic, ut uno alterove exemplo rem explanem, cautionem adhibendam nobis esse docent Magistri, ne in Exordiis sive Prooëmiis statim nimis exsurgat Oratio, aut immodico feratur impetu torrentisque instar sese praecipitet; quae contra lenis prolabi debeat, et tenuis esse et modesta atque placida, quo facilius se in legentium animos, (cereos adhuc in quamcunque partem flecti) insinuet in eorumque irrepat sensus atque penetret. «Qui enim (inquit CICERO) non praeparatis auribus inflammare rem coepit, furere apud sanos, et quasi inter sobrios bacchari vinolentus videtur.»

Haec omnia autem nonne pariter observet necesse est Pronuntiator, qui idem, loqui incipiens, modestia sese commendet vultus voceque temperata aliquanto et submissiore, nec non gestu et rariori et placidiori atque laterum leni tantummodo in utramque partem motu? Non haec omnia facient ad Auditores, jam a limine orationis, nobis conciliandos? Fingatis enim vobis Oratorem Ecclesiasticum, qui, postquam citato gressu in suggestum convolaverit, sine ulla verecundia ilico os ostentet, grandia sonaturum, repente maximam effundat vocem, caputque insanientis instar rotans, brachia vehementer dextrorsum et sinistrorsum jactet, agitet et quasi projiciat, pulpitum manibus pulset, ululetque mugiatque, ac si BRIDAINIUS sit redivivus, Franco-Gallorum vetus ille sacer concionator, damnatorum in Tartari flammis tormenta cruciatusque vividis depingens coloribus! Num, quaeso, putetis, hominem istum reverentiam, an vero cachinnos apud eos, qui audiant bonaque satis sint praediti mente, excitaturum esse? — Nec minus in vestibulis, quae CICERONI dicuntur, Orationum prae aliis rebus id curae habeamus, ne quod Stili a nobis committatur vitium, seu v. c. mendum sit Grammatices, seu verbum ponatur aut insolens, aut translatum, aut ab obsoleta

vetustate vel poëtica licentia sumtum, quae omnia eo severius ab Auditoribus carptum iri verosimile est, quo minus horum benevolentiam sibi jam conciliare potuerit Orator. Quare QUINCTILIANUS tam recte quam lepide dixit: «Vitiosum prooemium videri posse cicatricosam faciem, et pessimum certe gubernatorem, qui navem, dum portum egreditur, impegit.» — Haeccine autem cautio minus efficacitatis habebit ad Pronuntiationem, quam ad Stilum? Quid? nonne, qui audiunt quorumque aures in orationum principiis sese eo alacrius et vigilantius etiam arrigunt, non ii aeque erunt attenti ad menda Actionis expiscanda verbisque castiganda, quam ea notabunt vitia, quae sunt Compositionis? —

Quod ad Narrationem, quae a Rhetoribus vocatur, attinet, sive ut generalius dicam, ad totius, quod tractatur, argumenti expositionem et explanationem (quo referatur v. c. in Oratione sacra contextus explicatio) hic jam velocior procurrat Stilus et contractior, et quasi hilarior vividiorque; paulisper semoveantur longiores periodi, sive longi circuitus conglutinationesque (sic CICERO) verborum, quae Exordiorum tranquillitati conveniant, praevaleatque incisa magis dicendi ratio, Narrationis perspicuitati promovendae accommodatior. En, Auditores, nonne ad omnes has praescriptiones conformare sese debet Actio? Non jam vox usurpanda est ocior, laetior, simplicior, sermoni quotidiano et domestico fere proxima, ut ut paulo tantum acrior et significantior? Non manus minus prolata, gestus, ut QUINCTILIANUS monet, curtatus veluti, brevis, distinctus, agilis aliquantum et velox? Quisquamne haec neget? Atque adeo, uti in principiis orationum Declamatio non dissimilis sit flumini, lentioribus expansisque undis labenti, ita in Narratione hic illic imaginem referat amnis, citatiori cursu et nonnunquam, veluti objectu lapillorum, trepidante prosilientis fluctu.

Ad tertiam quod spectat orationis partem, Probationem volo, quae in confirmando constat et infirmando, et ubi imprimis persuadendi officio fungatur Orator, hic Stilus nervos suos habeat et aculeos, densior sit, pressior, intensior, instantior, vim exhibens et celeritatem. Quibuscum virtutibus concordare Actionem oportere, Auditores, facile videbitis; quae perinde sit multiplex, varia, in egressionibus tamen nonnunquam lenis, dulcis ac remissa, mox vero velox, pressa, vivida, mascula, pugnam quasi interdum spirans et

et bellicum (sic CICERO) quid sonans; ut paucis dicam, non alia atque in vita communi adhibere solemus, quando acriter aliquid vel defendere vel refutare conamur, aut animose dissentientibus studemus obloqui.

In Peroratione denique sive Epilogo neminem, vel mediocriter gnarum, latere potest, quanta saepe desideretur Orationis tum gravitas, tum vis et sublimitas. Hic imprimis, uti CICERO dixit, regnat Orator, saltem in dicendi genere, quod *deliberativum* vocant et *judiciale*, cui apud Recentiores vel maxime concionem sacram adjungas. Hic enim populus excitandus, hic in causis, gravioribus quidem certe, judices accendendi, hic auditores commovendi, flectendi, Oratoris aestu proripiendi sunt; hic, uti Rhetores dicebant, quasi faces admoveantur horum animis atque affectibus, sive flebiles sint, sive concitati. Qui, ut cieantur, affectus, uti magnam Orationis varietatem exigunt, ita non minus variam, multiplicem, nervosam, grandisonam crebro et prope tragicam pronuntiandi sibi vindicant rationem. Neque non in promtu est intelligere, Auditores, aliud, uti CICERO indicat, vocis motuumque genus a miseratione atque moerore, aliud a metu, aliud a vi, aliud a voluptate, a molestia aliud, aliud ab iracundia sumendum esse, ita ut v. c. «in iracundia acuti, incitati, crebro incidentes, in metu demissi et haesitantes, in vi vehementes, contenti, imminentes veluti quadam incitatione gravitatis, in molestia sine commiseratione graves et uno pressu ac sono obducti, in miseratione ac moerore flexibiles, pleni interruptique flebili voce simus.» Quae omnia quam praeclare a Priscis exposita sint, quis, qui aliquid scit, hoc nescit? Et quis simul non cernit, quod DEMOSTHENES in laudem dixit Eloquentiae Exterioris, illud vel potissimum de hac re valere? Utinam, Auditores, summum illum Oratorem audire potuissemus, per manes eorum, qui apud Marathonem et Plateas, fortiter pro patria dimicantes, vitam profudissent, jurantem, aut Jovem Deosque superos grandi voce obtestantem, aut in AESCHINEM, famae detrectatorem, turbinis instar, impetum facientem! AESCHINEM dico, qui ipse, DEMOSTHENI infestissimus, cum suavissima et maxima voce hujus orationem pro CTESIPHONTE legisset, admirantibus hanc Rhodiis respondisse fertur: «quanto magis admiraremini, si audissetis ipsum!» Et o quam vellem CICERONI praesentes hujusque in conspectu fuissemus, cum Eloquentiae fulmina aut in CATILINAM, in ANTONIUM, in omnium scelerum illam sentinam VERREM

jacularetur, aut MILONEM summa animi vocisque contentione defenderet, atque, dolore se deficere sentiens, haec verba miserabiliter emitteret: «sed finis sit, neque enim prae lacrymis loqui jam possum.» Quibus admirationibus principum illorum Oratorum prosecuti essemus Actionem; Actionem, inquam, praeclaram illam, in auribus sedentem easque percellentem; Actionem illam, imum in pectus penetrantem, mirificis soni intentionibus, inclinationibus, remissionibus, flebili, qua animi frangantur, suavitate, haec pectora modo instigantem et accendentem, modo lenientem atque mulcentem, modo exprobrantem, irridentem, conturbantem!

Quae autem hic dixi, Auditores, de accommodanda Pronuntiatione et Actione ad quatuor principales orationum partes, quibus aut delectet, aut persuadeat, aut flectat Orator, extendantur tum ad universas, quae tractentur, causas, tum ad sententias et singula verba. De causis, sive potius de omni, quod oratione persequamur, argumento, nec non de diversis Oratorum generibus supra jam vidimus, neque necesse est, ut quae de Actione, quatenus cum singulis sententiis et verbis ad amussim congruere eam oportet, dicenda nobis essent, fusius exponamus. Quid enim vos hac in re diutius morer, cui nullum sit dubium, quin ex iis, quae jam monui, affatim sit perspicua? Sufficiat (quod v. c. ad verba attinet) QUINCTILIANUM citasse docentem, eadem verba, mutata pronuntiatione, indicare, affirmare, exprobrare, negare, mirari, indignari, interrogare, irridere, elevare. Quemadmodum autem in Stilo quodvis verbum neque majorem, neque minorem significandi vim habeat, quam res ipsa, quae hoc vocabulo indicatur, sic pronuntiandi cujusque verbi ratio eadem regula metienda est, ut ne in declamatione huic illive vocabulo plus appendatur ponderis, quam illud ferre possit. Attamen simul observare non praetermiserim, quam perperam illi agant, qui in omnia, quae sibi aliquanto extantiora videantur verba, voce incumbere velint hisque, ut Veteres dicebant, instare et in his quasi requiescere; qua nimia singula quaeque distinguendi libidine distinctio et effectus generaliores facile peribunt. Quid? Et hic suam partem obtinet, Auditores, praeceptum illud, quod supra ad CICERONIS verba conformavimus, ut Pronuntiationi, non minus quam Stilo, sua sit umbra atque recessus, quo magis, quae illuminentur, in lucem prodeant.

Hactenus a me monitis, Auditores, de consensu Eloquentiam inter corporis et Eloquentiam interiorem, non pauca, quae adderentur, haberem, nisi temporis ratio intra suos circumscribi fines orationem juberet. Sic v. c. nonnulla alioquin mihi forent observanda de versibus sive de oratione ligata, alio modo et scribendis, et pronuntiandis, quam ea componamus ac recitemus, quae poëticis numeris exemta sunt, i. e., quae Prosa sive soluta Oratione traduntur. Qua forsitan occasione illos leviter perstringerem, qui, nulla metri habita ratione, omnem operam navant, ut quos recitent versus, non Vorsae, sed Prosae simillimi esse videantur; unde ejusmodi hominibus, carmen quoddam recitantibus, non raro per quartam horae partem adesse possitis ante, quam vobis compertum sit, utrum versus legant necne. Quod mecum ingratius putabitis atque durius. Cui bono enim Metrum, cui bono, quod compedibus illis vinculisque Poëtica Oratio ligetur, si utriusque in recitando nullum appareat vestigium, nulla resonet harmonia? Qui sic peccant, nonne ii canoram illam suavitatem atque dulcedinem, quam ars metrica Poësi afferat, radicitus exstirpare videntur? Non eos aequiparare putatis istos Musicos, qui aut in canendo aut in organis tractandis modos observent nullos, sive qui canticum, ut inquit TERENTIANUS, nullis modis temperent? Quae tamen ne ita interpretamini, Auditores, ac si versus fere cantari velim, quod, uti supra jam innui, taediosiusne dicam an molestius? Media in hac re carpenda est ac tenenda via, nec unquam e memoria nobis excidat proverbium:

Incidit in Scyllam, cupiens vitare Charybdim.

Quantam dicendi materiam porro mihi suppeditaret locus de Ironia, sive de convenientia Eloquentiae exterioris et interioris, si ad Ironiam, quae dic i tur, in eloquendo atque pronuntiando attendere vellemus! Uterque enim, tam qui orationem scribit, quam qui scriptam pronuntiat, curam gesserit, ne quae ironice ab ipso dicantur, habeantur pro serio dictis, quam ad rem evitandam plerumque minus fortasse valebit Auctoris quam Actoris opera. In Ironia enim non raro sola Pronuntiatione, quid revera sentiat Orator, osten-

ditur, in primis, quando quae ironice sunt emissa, hisce salibus leviter tantum aspersa sunt. Quod mihi in causa esse videtur, cur hi illive CICERONIS loci perperam aliquando intellecti fuerint a viris doctis, in seriis ponentibus, quae per jocum essent prolata. Qui viri eruditi certe hoc non fecissent, si CICERONEM audivissent ipsum, ea verba vultu subridenti voceque leniter exsibilanti pronuntiantem. Huc v. c. forte referatis nonnulla ex oratione pro LIGARIO, quae jam a limine multum continet ironiae, cujus vel vestigia deprehendantur in primis Exordii verbis: *Novum etc.* Nec in multis aliis TULLII orationibus urbanam illam dissimulationem desiderabitis. Urbanam, inquam, dissimulationem. Hac ratione CICERO vocem εἰρωνείαν Latine reddidit. In quibusvis praeterea caeteris ridiculorum, salse dictorum, facetiarum, dicacitatis, ambiguorum, leporum, et quae hujusmodi plura sint, generibus « quibus animi laxentur et paulisper a severitate ad hilaritatem traducantur, » regnat CICERO atque dominatur. Non mirum igitur, QUINCTILIANUM, cum comparationem illam institueret notissimam Graecas inter Romanasque literas et disciplinas, exsultantem ovasse: salibus vincimus; his verbis innuere gestientem: nostras, o Graeculi, Orator CICERO lepidior est atque salsior, quam Oratorum vestratium Coryphaeus DEMOSTHENES! Quam tamen FABII, fere dixerim, jactantiam a vobis intelligi nolim, Auditores, quasi vero summus ille DEMOSTHENES jocorum et ironiae plane expers fuerit. Cujus rei contrarium satis luculenter probatur lepidissima illa fabella de asini umbra, qua facetia DEMOSTHENES Judices ad ea, quae dicebat, parum attentos, cum salse perstrinxit, tum attentiores reddidit. Haud pauca insuper loca in DEMOSTHENIS orationibus acerrimam spirant irrisionem atque cavillationem, v. c. locus ille classicus, in quo ironice Athenienses insectatur, otiosos hic illic discurrentes curiososque fatuosque inter se quaeritantes, numquid novi esset. Quasi, scilicet, respondit mordax DEMOSTHENES, id non affatim rei esset novae, Macedonem quemdam toti Graeciae servitutem parare et exitium! — Quid, an ipse CICERO in omnibus suis jocis nunquam insulsior fuit? Imo vero, idem ille, qui in fastigio stetit eloquentiae apud Romanos, idem ille CICERO habet, quae frigidiuscule dicta videantur; v. c. ubi ludit iterumque ludit in ambigua significatione vocabuli VERRIS, quod et porcum sive suem marem denotaret, et Praetoris istius sceleratissimi nomen esset, in quem summus Romanorum orator, ira exaestuans

atque indignatione, dicendi flumen atque adeo torrentem identidem effunderet.

Verum, quaeso, quo excurrimus, Auditores? Ut ex aviis in semitam nobis calcandam redeamus, haud pauca insuper, si propter ruentem horam id mihi liceret, essent, quae monerem de praecepto illo, non minoris in Actione, quam in Oratione, ponderis, ne unquam animi fervore atque aestu ultra pulchri et decori limites nos abripi patiamur, neve, dum habenas mentis nostrae affectibus immittimus atque sensibus, iis, qui nos legant vel audiant, nos exhibeamus ridiculos. Caput in eloquentia est, decere quod facis, inquit QUINCTILIANUS. Quam ad rem, cujus hic supra aliquantulum jam memor fui, egregia sunt, quae SHAKESPEARIUS praecipit, dum docet: « omnia sedate facito, atque in ipsis affectuum fluctibus procellisque eam semper moderationem servato, qua animi illi sensus leniantur et mitigentur! »

Quamquam autem poëta ille laudibus cumulatissimus praeceptum hoc Actoribus sive Histrionibus inculcat tragicis, nihil obstat, quo minus idem quibusvis caeteris, tum Scriptoribus, tum Actoribus seu Pronuntiatoribus, i. e. universae, qua interiori, qua exteriori Eloquentiae, applicemus, imo, quin illud dignum censeamus, quod per universum liberaliorum artium atque disciplinarum regnum norma habeatur palmaria, et lex, ut vulgo ajunt, fundamentalis. Namque illa regula, latius explicata, haec est: neque in scribendo, neque in pronuntiando, nec in pingendo, nec in sculpendo, nec in quacunque alia re imitanda et exprimenda, aut verior esto et concitatior, aut uberior et redundantior, aut magis, quod sic dixerim, naturalis, quam ex pulchritudinis legibus par esse videatur et decentiae congruere! Quod praeceptum utinam a Poëtis aliisque recentioris aevi artificibus, nimis saepe veluti extra ripas diffluentibus, semper aeque fuisset observatum, atque Vetustatis tum Poetas, tum Sculptores et Pictores, illud perpetuo fere observasse, apud omnes eruditos constat.

Porro, tempus si sivisset, quaedam mihi adumbranda fuissent de Oratione et Actione, in hac re inter se non discrepantibus, quod ambae saepe aliae sint apud alios populos. Suam fere quisque populus scribendi i. e. componendi seu eloquendi, suam idem ille pronuntiandi et recitandi consectatur rationem. Aliter v. e. in universum eloquuntur et agunt, i. e.

pronuntiant sive declamant, Galli, aliter Germani et Angli, aliter denique Batavi et quotquot caeteri sunt Europae populi. Toto coelo ad Stilum et Actionem distant inter se quae Orientis et quae Occidentis plagas inhabitant gentes. Quamobrem quae apud unum alterumve populum Stili et Elocutionis probantur praecepta, singula quaeque non eadem vigere possunt auctoritate apud omnes caeteros. Sic nonnulla, quae QUINCTILIANUS de agendi et pronuntiandi ratione coram judicibus Romanos docuit Causidicos, a nostratibus Batavis hominibus, qui in causis versentur, observari nefas foret. Pedum v. c. supplosio, neque a QUINCTILIANO, neque a CICERONE in Oratore, qui pro tribunalibus verba faciat, improbatur. Quemnam causarum Patronum Batavum, humum pedibus pulsantem, non exploderetis? Aut Batavo Patrono licitum erit (quod *Romae* nequaquam insolitum) clientum cognatorumve, quos priores illi habeant, pictas circumferre imagines, quibus, nescio, quo modo, judices aut propitii fiant, aut ad misericordiam commoveantur; quaeque id ostentationis et artificiorum genus non pauca a QUINCTILIANO enumerantur alia? Quid? nonne hic Belgici proverbii vobis in mentem venit, Auditores: ut suus cuique regioni mos, ita suus cuique regioni honos?

Haec omnia et plura alia, Auditores, mihi attingenda forent, si dicendi telam de convenientia Eloquentiae exterioris interiorisque pertexere vellem. Plura, inquam, alia. Quo pertinet v. c. praeceptum, ut numerus quidam sit in Oratione, quod praeceptum nonne et in Pronuntiatione valet? Quo pertinet porro CICERONIS monitum docentis, maximis voluptatibus finitimum esse fastidium, quaeque sine interruptione sensum moveant, ea difficillime effugere satietatem. Quod effatum si in Stilo, quem potius rerum pondere, quam sententiolis et flosculis placere oportet, verum est, aeque est verissimum in Pronuntiatione. — Quo referatis etiam inquisitionem in causas, cur tantus obtineat Orationem inter et Actionem consensus, ad quam quaestionem non difficulter responderi posse crediderim ejusdem TULLII verbis, ubi dicit: « omnis enim motus animi suum quemdam a natura habet vultum et sensus et gestus, totiusque corpus hominis et ejus omnis vultus omnesque voces, ut nervi in fidibus, ita sonant, ut a motu animi quoque sunt pulsa. » — Neque non praeterea huc spectat praescriptum, ut praeclarus Pronuntiator, haud minus quam probabilis Scriptor, vir bonus sit; et quae id genus sunt alia. Egone vero ut haec

cuncta dicendo persequi atque in argumenti quasi ipsa viscera hac ratione penetrare velim, Auditores? Egone ut tam impudenter patientia vestra abutar? Egone ut adeo immemor sim dicti, tam vere quam lepide, ab Auctore quodam Franco-Gallico: « singula et unaquaeque dicere velle taedii creandi arcanum est? » Imo, hoc longe a me absit! Levi tantum penicillo nonnulla, quantula essent cunque, adumbrare volui, et quae hanc in rem protuli, non est, quod ulterius urgeam. Vos ipsi picturam, cujus extrema duntaxat dedi lineamenta, elaborare et tanquam elucubrare velitis! Finis sit orationis! Jam ad fata Academiae enarranda transeo. Ante vero, quam eo progrediar, Musica vobis aures, mihi vocem animamque paulisper reficiat renovetque!

Annus elapsus fatorum, quae commemorarentur, dignorum, satis ferax fuit, feracior, eheu, quam optassem! — Ne autem, tristitiae nubibus obducti, ex hac *Teleio-Baptistarum* aede, in hujus diei solemnitatem iterum ab Ecclesiae Administratoribus humaniter concessa, discedamus, a moestioribus fiat nobis initium, deinde ad laetiora, saltem mixta, transituris. Quae inter tristia referre debemus unum e studiosa juventute alumnum morte nobis ereptum. Juvenis ornatissimus PETRUS KNYPINGA, huc usque in propaedeuticis, quas ajunt, literis, versatus, deinceps vero, modo id sors voluisset, jurisprudentiae operam navaturus, tabe confectus, initio anni Academici, animam efflavit, triste sui desiderium parentibus, praeceptoribus commilitonibusque relinquens. — Neque possumus, quin obitum memoremus matronae spectatissimae JOHANNAE CORNELIAE KLUMP, conjugis superstitis annosae

GUALTHERI FORSTEN VERSCHUIR, Viri Clarissimi, qui ante triginta et quod excurrit annos in hujus Academiae Professoribus, Ordinem Medicorum constituentibus, haud infimum occupavit locum. Sed haec propemodum oblivionis praescriptione, ut dicitur, deleta sunt, quapropter in hoc casu, brevitatis ergo, diutius non morabimur. —

Multo luctuosior profecto acerbiorque Academiae evenit clades morte PETRI HOFSTEDE, Viri Amplissimi, Universitatis Groninganae unius e Curatoribus, qui, postquam diu adversa afflictus fuit valetudine, tandem, senio consumptus viribusque exhaustus, die 14 Aprilis 1839, anno aetatis octogesimo quarto, eo abiit, unde negant redire quemquam. — Natus fuit anno 1755 *Tornaci* in Flandria, ubi patrem habuit virum fortissimum, gravissimum, WOLTHERUM HENRICUM HOFSTEDE, militum primo ducem in cohorte, *Oranje-Drenthe* Belgice dicto, deinde, postquam ensem vagina condiderat militiamque reliquerat, provinciae Drenthinae a consiliis et actis. Mater autem defuncti fuit matrona spectatissima MARIA COS. Post prima liberalioris institutionis fundamenta in Drenthia posita *Meppeltique* Scholas Latinas a puero frequentatas, adolescens in Academiam Groninganam profectus, ad varios docendi se applicavit magistros, in primis vero, inclytis Professoribus ducibus, in jurisprudentiae studia incubuit, quod tanto fecit successu, ut, absoluto curriculo Academico, anno 1775 Doctoris pileo caput tegere ei licuerit. — In Drenthiam reversus, publico quodam illic munere functus est atque simul causarum suscepit patrocinia nomenque in foro celebratum est adeptus. Uxorem interea temporis duxit virginem spectatissimam, SUSANNAM CHRISTINAM KYMMEL, ex qua plures genuit liberos, quorum alii etiamnum in vivis sunt, alii jam diem obierunt supremum. Permulta, eaque gravissima munera gessit Vir Amplissimus, cum sub veteri Republica foederata eâque, quae Batava dicebatur, tum sub Rége LUDOVICO NAPOLEONE, nec non (quanquam breve tantummodo per tempus) sub ipso NAPOLEONE Imperatore, denique, restitutis patriae rebus, sub Augustissimo Rege GULIELMO I. Enumerare haec omnia et longius foret et taediosius. Attigisse sufficiat, eum inter alia, plurimis subsequentibus annis, Gubernatorem fuisse Provinciae Drenthinae, quo munere, anno 1831, deposito, senili jam aetate iterum *Groningam* se contulit atque in hac urbe ad mortem usque otio cum dignitate gavisus est,

quod tamen non impedivit, quo minus res Academicas gnaviter curare pergeret. Fuit enim, inde ex anno 1830, ad hujus Academiae Curatores adscriptus, uti et Regis a consiliis extraordinariis, neque non Neerlandici Leonis Ordini Equestri Praefectus, sive, quod Belgice dicitur, *Commandeur der Orde van den Nederlandschen Leeuw.*

Vir fuit multo ingenii acumine praeditus, in rebus gerendis acer, industrius, vigil, temporis parcus, ita ut, vel per hyemem, hora quinta matutina saepe de lecto surgeret; — in ipso otio nunquam non occupatissimus variaque semper moliens atque agitans; — haud infacetus et satis literatus, bonus quippe Jureconsultus, non ineptus Theologus, aliaque multiplici doctrina imbutus; — de antiquitatum studio in Drenthia excolendo, de rebus oeconomicis ruralibus provinciae curandis, de puerorum institutione liberaliori promovenda valdequam meritus; — hominum insuper scientiam egregie callens; — propositi tenax, neque partium quondam in Republica coeco furore solida mente quassus, tempori tamen, ubi par esset, prudenter cedens; — quid multa? perquam idoneus, qui in scena, quam appellant, politica, non humiles partes ageret, cujus vero seu virtutes percensere hac in re, seu vitia (nam quisque suos patimur manes), non meum est, hominis, politices ignorantissimi, quique Viro Amplissimo familiariter non usus sim. — Sit, precamur, venerando seni, qui nec mediocrem, nec contemnendam sui reliquit famam, terra levis! Te autem, Vir Amplissime GOCKINGA, qui in illius locum a Rege Augustissimo Curator electus es, et cui acceptum illum honorem (uti et tibi et absenti STYPKENSIO, Viro Amplissimo, munera in Curia hujus Provinciae) primus publice hic gratulor, eum fore, qui eadem alacritate ac defunctus, rem nostram publicam literariam tuearis, cum speramus, tum sperantes confidimus.

Tecum moeremus, Clarissime STRATINGH, quod patrem amiseris, Verbi Divini quondam Ministrum, et nomine et re plurimum venerandum, qui, quintum et octogesimum agens annum, mortales in sepulcro deposuit exuvias. Sit autem hoc tibi solatio, quod ad ejus tam provectam usque aetatem carissimo illo genitore tibi frui licuit, praesertim cum ipse, qui propter corporis, quin paulo ante obitum vel mentis interdum infirmitatem, vivendi perdidisset causas, nihil fere, certe parum, haberet, cur sibi majorem exoptasset longaevitatem.

Aeterna jam laetetur felicitate Vir justus idemque pius, cujus utinam memoria tibi caeterisque liberis (nec non tibi, Cl. STRATINGH *Senior*, defuncti frater amantissime!) carissima semper maneat, antiquissima, gratissima!

Alia funera non vidimus.....! Sic jam scripseram, Auditores, cum, ecce, veluti fulminis ictus, nova nos ferit calamitas, quam haud scio, an omnium maximam dixerim. Unus quippe de Professoribus, jam ex aliquo tempore languenti morbo, initio satis quidem levi, pedetentim vero ingravescente, correptus, nono abhinc die (2 Octobris) hac vita decessit in domumque abiit aeternam. Quid quaeritis? Fuit, fuit, eheu, JANUS noster BRINKIUS, collega aestumatissimus, conjunctissimus, neque unquam hi nostri oculi eum in hocce doctorum hominum conventu atque frequentia adspicient! Sed pergere nequeo, quin mihi erumpant lacrymae ob viri dignissimi jacturam, quocum viginti quatuor annos in Ordine nostro amicus vixi quemque tam lubenter, imo, lubentius fere quam quemvis alium, hoc die solemni meis annumerassem auditoribus. — Quamobrem in tanto atque tam inopinato luctu certe a me non postulaturi estis, ut ipsius laudatorem parentalem hic agam verbosum, vitaeque enarratorem copiosum, qui in annotationibus ad hanc Orationem, ubi mihi animus minus erit conturbatus, fusius id sum facturus. Neque praeterea multos vestrum fugit, JANUM BRINKIUM, anno superioris seculi septuagesimo primo, *Amstelodami* natum fuisse ex parentibus honestissimis BARENT TEN BRINK et HILLEGONDA TROMP; — eum, duce doctissimo atque elegantissimo VAN OMMEREN, scholas frequentasse Latinas Amstelodamenses, nec non ejusdem urbis Athenaeum sive Scholam, quam vocant, Illustrem; — curriculum autem Academicum inchoasse et absolvisse *Lugduni Batavorum*, ibique, exeuntibus studiis, per breve tempus civitati administrandae immixtum fuisse. — Notum porro vobis est, BRINKIUM deinde Praeceptoris et aliquanto post Rectoris munus obiisse in Gymnasio Nassavio-Velavico seu Harderviceno, tum, aliquo interlapso tempore, Historiae et Latinarum Graecarumque literarum in ipsa Academia, quae tunc temporis *Hardervici* erat, Professoris; eandemque Universitatem eum, honoris causa, Doctoris titulo in utroque jure donavisse. — Neque ignoratis, Academia Hardervicena a NAPOLEONE abrogata, BRINKIUM *Harlemi* scholis Latinis praefuisse Rectorem, unde denique, post Gallorum propulsam tyrannidem, anno hujus seculi quinto et decimo, ad Professoris dignitatem in Ordine

philosophiae theoreticae et literarum humaniorum, in hac nostra Academia a Rege Augustissimo evectum fuisse, eamque provinciam ad mortem usque, et cum biennio post rude donandus esset, in suas atque Palladis nostrae laudes feliciter gessisse. Non nescitis denique, BRINKIUM primo uxorem habuisse virginem ornatissimam HELENAM WYVAM GLASIUS, ex qua plures genuisse liberos, qua vero morte sibi erepta, secundas iniisse nuptias cum matrona spectatissima JOHANNA VAN STADE, Viri Cl. superstite nunc conjuge, acerbissimo dolore de mariti obitu oppressa. — Haec adumbratim memorasse hac hora satis esto! Sit autem Collegae, quem lugemus, epitaphium: hic jacet vir et exquisitae et quam maxime liberalis doctrinae, multa, in primis vero multum sciens, subacto judicio atque peracri, memoria tenacissima sensuque pulcri limato, subtili et acuto praeditus; — Poësin et Prosodiam Latinam accurate tenens, Musisque, tum Romanis, tum Neerlandicis, gratiosus; — verbo, eruditus, nec non, praecipue dum juvenili adhuc virilique floreret aetate, perquam elegans Literator; — homo autem bonus, fortis, animosus, generosus, ut libertatis moderatae amans, ita effrenatam abhorrens licentiam; nullis avaritiae sordibus inquinatus, famae quippe appetentior, quam pecuniae; fidelis amicus, sodalis jucundus atque hilaris; — vir denique, qui quae, homo, haberet mentis vitia animique incalescentis concitatiorem nonnunquam impetum et quasi subita incendia, comitate, benevolentia, humanitate largiter compensaret. — Flebilis patriae, flebilis Minervae Apollinique, flebilis studiosae juventuti, flebilis Professoribus collegis, flebilis amicis, flebilis bonis omnibus occidit, nulli autem flebilior quam amantissimae et ab eo peramatae uxori, neque non liberis, quos paterno semper et sincero amore complexus est, quique calentem patris favillam calidioribus etiam lacrymis aspergunt. Coeli sit particeps, precamur, Vir bonus, quasque haud paucas in hac vita terrestri passus est aerumnas, Deus Clementissimus, qui conjugi superstiti orphanisque maritus sit atque parens, ineffabilibus beatioris vitae deliciis ei rependat! — O BRINKI, nullus te ex recordatione amicorum collegarumque delebit dies! Tuis meritis suus in perpetuum stabit honos apud omnes, qui bene te noverint quique in Professorum dotibus librandis, propter minorem fortasse senis vigorem, pristinam juvenis virique alacritatem ingrata oblivione non extinguant!

Praeter Cl. BRINKIUM et HOFSTEDE, Virum Amplissimum, morte nobis ereptos, non unus e Curatoribus atque Professoribus graviori et longiori impeditus fuit morbo; inter quos et Curatorem VAN IDDEKINGHE, hujus urbis Consulem aestumatissimum, et collegam conjunctissimum PARAVIUM percensere debeo. Neque non me ipsum, Auditores, qui plurimis hebdomadibus quam maxime e pedibus, sive potius e genubus laborarem, ita ut Rectoris exsequendis officiis omnibus saepe impar essem lectoque affixus vitam parum jucundam degerem. Quod haud exiguo mihi fuisset cruciatui, nisi, quantum ad res Academicas pertineret, spiritus meos refecisset meque curis magnam partem levasset PETRUS HOFSTEDE DE GROOT, Vir Cl., collega conjunctissimus, qui, Prorector, magistratum Academicum adeo strenue tantaque in me benevolentia gessit, ut nullum, quod sciam, ex aegra meae valetudinis conditione res nostra publica literaria detrimentum ceperit. Pro qua re, uti et pro dicato mihi compendio tuo egregio Theologiae Naturalis, tibi, mi GROTI! publice hic gratias ago, qui simul honorem gratulor, quod inter Instituti Regii Belgici socios, qui ab Epistolarum commerciis sunt, receptus fueris. —

Jam tristioribus enarratis, Auditores, ad laetiora, saltem, ut dixi, mixta transeamus!

Regi Augustissimo gratulamur, cui diem celebrare licuerit, quo, quinque et viginti annis ante, ex longo exilio redux, ad Batava littora triumphans appelleret jugumque excuteretur, quod a NAPOLEONE, Franco-Gallorum Imperatore famosissimo, nobis impositum fuerat. — Neque possumus, quin Regi nuptias gratulemur, quas nepos, Princeps hereditarius Arausionensis, cum una iniit e filiabus Regis Wurtembergici, femina principe, secundum diariorum testimonia pluribus conspicua virtutibus et de morum urbanitate atque comitate totam per Germaniam famae praeconio celebrata. Quod utinam matrimonium uberrimum felicitatis aperiat fontem tum ipsis illustrissimis conjugibus, tum regibus utriusque parentibus, tum Avo Augustissimo, tum patriae, tum, quae una Batavis cara sit, aureae libertati! — Quae caetera ad res nostras publicas pertinent, in quibus v. c. enumeretur pax, post longas rixas cum divulsis a nobis Belgis facta, taceamus, namque suggestus hic literarius ab armorum strepitu atque a spinosis,

miserrimisque iisdem saepenumero, politices ambagibus procul remotus sit! Hac tamen fiat occasione mentio vexilli, quod, anno 1830, studiosis Groninganis, pro patria militantibus, a primariis urbis virginibus dono datum, nunc, finito plane bello, in aedibus Academicis depositum est.

Quod ad ipsam attinet Universitatem Groninganam, (ut a laetis rebus minutioribus initium facientes, ad graviores escendamus) haud scio, an commemoratu digna videatur porticus sive ambulacrum areae Academicae resarcita, quae vellem renovatio ad adjacentia sese extendisset auditoria, squallida illa, pallida, nigrum horrorem incutientia, Dis hominibusque, (uti Poëta canit) imo vel ipsi Regis Ministro, Viro Excellentissimo, qui ea, dum hic ante paucos menses adesset, conspexit, invisa, praesertim cum lascivae Juventutis manus ea identidem devastassent, atque foedum in modum spoliassent fractorumque obstruxissent scamnorum mensarumque ruinis. (*) Sed quid, *jocantes* aliquantulum, de Palladis nostrae ejulemus aede, hic illic, ut calumniantur, militum gregariorum castris urbanis deteriori! Nonne, uti non rumor, sed res esse videtur, brevi decentiora exsurgent aedificia? Non a Rege Augustissimo nuperrime decretum est, ut locus investigaretur, quo novum plane digniusque exstrueretur Musarum Groninganarum sacrarium? Sic Regi placuisse ajunt, Auditores, et in hoc placito pariter atque in altero de extendendis et quodammodo conjungendis hortis, medico et oeconomico, nec non de amplificando theatro anatomico domoque, ubi instrumenta, oeconomiae rurali docendae inservientia, servantur, ovantes exsultamus, Regisque futuram laudibus cumulamus munificentiam atque ex animo optamus, ut, simulac possit, caput in altum extollat Groninganae Minervae templum, quod cum cives, tum hospites obstupefacti intueantur quodque non minus admirentur, quam, quo huc usque utimur, aedificium et irriserint fortasse, et saepenumero cavillati sint!

Librorum numerus egregie auctus fuit, quorum tamen titulos enumerare taedio foret. Vellem autem Bibliotheca Academica paulo ditior esset librariae supellectilis, quae literas linguasque et antiquitates Teutonicas et

(*) Ex duobus his auditoriis quod deterrimum erat, illud nunc satis nitide jam renovatum est.

Belgicas, nec non alias cognatas affinesque illustraret! Si enim excipias quae, dum in vivis erat, comparavit in primis Bibliothecae Administrator J. DE RHOER, Vir Clarissimus, linguarum Teutonicarum amantissimus, Glossaria similiave ejusdem generis utensilia literaria, valdequam necessaria (rari tamen, ut poëta canit, hic nantes in gurgite vasto!), satis pauca quidem inveniuntur, quae literas linguasque populorum ex stirpe Germanica spectant. Nullum saltem fere, praeter quaedam Frisica, hic in scriniis exstat vetus Belgicum opus manuscriptum, cujusmodi tam multa *Lugduni Batavorum* alibique reperiuntur, et quae in Germania, quae in Gallia, quae in Brittannia, quae in ipsa Neerlandia aliisque in regionibus a GRIMMIIS, LACHMANNIS, MASMANNIS, MONIIS, RASKIIS, GRAFFIIS, DOCENIS, HOFMANNIS, SCHMELLERIS, ROQUEFORTIIS, THORPIIS, WILLEMSIIS, BILDERDYKIIS plurimisque aliis Viris doctis typis exscripta atque edita sunt opera, horum aliquam partem hic frustra quaesiveritis. Quod nequaquam dictum sit aut in Curatorum, aut in praecedentis praesentisve Administratoris vituperationem, qui satisfaciendo omnibus Professorum desideriis impares sint fuerintve, sed ut in mentibus Virorum Amplissimorum, penes quos hac in re imperium est atque potestas, quasi aculei relinquantur, quibus incitati, data in posterum forte occasione, pro emenda cum Teutonica, tum Belgica similive librorum supellectile tantumdem pecuniae concedere velint, quantum non semel et antea et nuperrime vel hoc anno largiti sunt, unde opera acquirerentur, sive literas Orientales, quas vocant, seu Archaeologiam Graecam Romanamque illustrantia. Meum enim, cui, patrifamilias, uxor et sex alendi sint liberi, meum non est liberis educandis librisque scribendis libros permultos, male saepenumero emendos, imprudentius addere. Istuc ditioribus et ἀτέκνοις librorum helluonibus relinquendum esse censeo.

De Studiosa nostra Juventute in universum nil nisi bonum habeo, quod praedicem, paucis exceptis tantum maculis, quibus omnes inquinatas invenias Academias. Industriam prae aliis probavit commilitonibus ornatissimus juvenis JOHANNES GOLDSCHMIDT NANNINGA, qui fere victor in honestissimo certamine literario, *Lugduni Batavorum* instituto, a Facultate Medica honoris testimonium, quod *accessit* dicitur, ibi accepit. — Grati animi significationem erga Praeceptorem aestumatissimum exhibuerunt ii Studiosi, qui STRATINGHII *Junioris*, Viri Clarissimi, imaginem aere incidendam et prelo

deinceps excudendam curarunt. — Ut a Studiosis ad Professores transgrediamur, non possum intermittere, quin memorem, quantum laetitiae Academiae urbique Groninganae attulerit, quod LIMBURGIUS BROUWERUS noster, Vir Cl., collega conjunctissimus, qui *Amstelodami* a Scholae Illustris Curatoribus in candidatorum numero ad occupandam ibi vacantem Professoriam cathedram collocatus esset, eodem expetitus non fuerit, licet, ut vere dicam, multi hic non perspicerent, quid huic collegae eruditissimo, ingeniosissimo, (cujus jam fama, arctis nequaquam circumscripta patriae finibus, ad ipsos recentiores pervolavit Athenienses) hoc munus tantopere arrisisset, nisi si id fuisset propter parentum propinquorumque vicinitatem. At, Dî boni! Professorem agere in maxima eaque florentissima hujus regni urbe, in ipsa, quae dicitur, metropoli, alii clamabant! Hoc flocci pendas? — Quasi vero aliquid esset permagnum (sic, ad haec respondens, alter Groninganus alteri insusurrabat) ex una trium patriae Universitatum, quae Theologiae, quae Juris, quae Medicinae, quae Philosophiae et Literarum Humaniorum tot creët Doctores, quot dignos censeat, quaeque saepius ultra trecentos habuerit alumnos, demigrare in Athenaeum, quod, etiamsi non uno gloriae inclaruerit titulo, imo, per duo haec secula BARLAEIS suis, VOSSIIS, FRANCIIS, DORVILLIIS, BURMANNIS, CRASSIIS, LENNEPIIS aliisque scientiae luminibus meritissimo superbiat jure, semper tamen Athenaeum tantummodo est, non Universitas sive Academia videlicet, sed Schola, quae ex haud multis studiosis juvenibus ne unum quidem Candidatum Literarum renuntiare queat! Hoccine (sic subridentes loqui pergebant) escendere, an vero descendere dicas? Per nos prius appelles, (morosius adjungebant nonnulli) his praecipue temporibus, quibus haud scimus, an vetus Academiarum splendor ex aliqua parte evanuerit, sed quid, quaesumus, si capita de sepulcris attollere possent, quid ad hanc responderent quaestionem prisci Professores Groningani, barbati illi severiorisque vultus, quorum haud pauci, dum Groninganae Minervae sacerdotes fuerunt, vel ipsam Palladem Lugduno-Batavam, fistula quam dulcissime canenti ipsos allicere conantem, alto supercilio aspernati sunt? —

Sic utrinque litigabatur, Auditores, neque meum erat, homunculi, tantas componere altercationes. O cautos, tamen exclamavi, providosque et felicissimos simul mercatores ad Amstelam, qui utercunque principum

candidatorum, sive BROUWERUS noster, sive BOSSCHA, Professor eligeretur, semper scirent, sese virum sibi acquisituros esse, et muneri, cui destinaretur, aptissimum, et LENNEPII, Antistitis eruditissimi, Poëtae elegantissimi dignissimum successorem!

Utinam et de Clarissimo OORDTIO dicere possem, quod de LIMBURGIO BROUWERO laetus modo significavi, eum Palladis Groninganae cultum cum alius Minervae sacerdotio commutaturum non esse! Sed tristis hoc nequeo. OORDTIUS enim noster, *Lugduni-Batavorum* ad Theologiae docendae munus expetitus, non satis sibi causae esse existimavit, cur oblatam illam honorificam cathedram recusaret. Tu igitur, proh dolor, intra breve tempus nobis vale es dicturus, amicissime OORDTI! Hoc autem pro certo habeas velim, magnum tui molestumque desiderium et apud Studiosae Juventutis coronam, et apud Professores collegas, et apud non paucos hujus regionis incolas esse remansurum. Bonis, faxit Deus, auspiciis provinciam gravissimam suscipias, melioribus continues, optimis ad finem perducas! Tibi dilectissimaeque conjugi et carissimo filiolo omnia laeta etiam atque etiam precamur, sitque, praeter alia cujuscunque generis bona, et hoc in fatis, ut *Lugduni-Batavorum* in Ordine Theologico Collegas invenias, qui in juventute gnaviter docenda, in disciplinis excolendis theologicis, tam amice, tam humaniter, tam liberaliter, tam ad hujus saeculi genium accommodate tecum conspirent, quam his in rebus conspirasse Professores Theologos Groninganos, uno omnium perhibetur ore. Nostri saepe recordare, tui memoriam caram semper habebimus et antiquam! Qui autem tibi in hac Academia a Rege Augustissimo successor creabitur, is nobis exsistat Antistes, qui ingenii dotibus, qui doctrinae copia, qui facundia, qui morum comitate similibusque virtutibus de re nostra publica literaria, de Professoribus, de Studiosa Juventute aeque bene mereatur, ac te de his omnibus per plures annos meruisse, grato animo hic publice testamur!

Jam ex praecedentium annorum consuetudine transeundum nobis esset ad praemia victoribus in certamine literario distribuenda. Verum enim vero neutiquam ignoratis, Auditores, ex novissimis summi Imperantis decretis uni tantum Academiae quaestionum proponendarum praemiorumque decernendorum facultatem singulis annis datam esse, cujus rei cum nostrae

Universitatis vices anno proxime elapso fuerint, praesenti anno Academico otiosis nobis esse licuit otiosisque manere per sequentem etiam annum licebit. Cui quidem otio, etiamsi aliquid ingrati habere videatur, inest tamen una nonnihil, quod Professoribus arrideat, inter duas quippe pluresve commentationes aemulas, non sine animi quodam cruciatu, saepe haesitantibus, utri earum an neutri, ulli an nulli victoriae palma sit adjudicanda.

Quid mihi aliud agendum igitur superest, nisi ut Rectoris Magnifici munus, quo hoc anno functus sum, deponam illudque tradam successori? Quod haudquaquam repugnanter facio. Quantumvis enim, dum Magistratum gessi Academicum, nihil mihi contigerit molestiarum, neque ex Curatoribus, Viris Amplissimis, quos ante Rectoris acceptos honores mihi non omnes amicissimos crederem, Rector vero nullo modo inimicos inveni, post Rectoris depositum munus infestos, ut spero, aeque minus inventurus, neque ex Professoribus collegis, quorum omnium erga me benevolentiam grato expertus sum animo, neque ex Studiosa denique Juventute, cui quatuor et viginti annis nec adulator exstiti, nec censor unquam morosior, imo vero, licet regiminis tempus ad finem quasi defluxerit, lenis instar amnis, nullo turbati vento, plus tamen curarum, utcunque pusillarum, Rectoris laquearia circumvolitare sensi, quam ut is essem, qui Magistratus perpetui honores lubenter ambirem. Nequaquam tristis igitur provinciam meam suscepi, laetior ferme atque hilarior ea nunc me abdico tuisque eandem jam impono in humeris, junioribus illis robustioribusque, Clarissime NUMAN! qui in annum sequentem a Rege Augustissimo Rector Magnificus designatus es. Salvere te jubeo, nove Rector, faxitque Deus Optimus Maximus, ut tuo munere honorifico in Academiae decus atque salutem quam felicissime fungaris! — Ego, Cl. NUMAN, Rector creatus fui atque renuntiatus non sine parum jucundis mihi, anno ante, motis difficultatibus, et paulo provectiori jam aetate, et postquam tertium et vicesimum jam annum me ad docendum in hac Academia dederam, neque magna mihi est exspectatio, fore, ut post revolutum iterum hunc orbem Universitatis sceptra denuo geram. — Tu ad Magistratum evectus es, nullis objectis impedimentis, juventutis flore, aetatis annum vix agens trigesimum secun-

dum, et post haud longum per tempus occupatam Professoris cathedram. Praeterea, ut es vir viribus plane juvenis adhuc, nihil obstat, quo minus, dummodo in vivis maneas, ante annum aetatis septuagesimum (quo, uti non nescis, Regis Augustissimi benevolentia rude donamur) iterum iterumque Rector creëris. Eo laetius itaque, eo melioribus, ut ajunt, avibus, eo beatius gravissimum tuum munus auspicari potes. Neque tamen hac inter te et me differentia superbior sis, quippe quod discrimen ortum sit tum forte fortuna et ex naturali, qui dicitur, rerum cursu (quia natu minimus in nostro eram Ordine) tum propter ejusmodi, nisi male conjecerim, causas, quae mihi nec apud justos et aequos rerum existimatores orisque haud timide clausi amantes, nec apud tales, qui praeceptorum, bene de nobis meritorum, memoriam pie colant, nec apud Groninganos, qui de hujus urbis salute solliciti sint, unquam erunt dedecori, imo vero, cum corpusculum hocce meum jam diu a vermibus erit devoratum, laudibus forte atque gloriae.—

Sed ingratum hunc sermonem de rebus, quae oblivione propemodum obrutae sunt atque sepultae, quarumque nullam mentionem hic injecissemus, si honoris id sivisset cura, quam celerrime mittamus!

Vita mortalium, Clarissime NUMAN, jam a primo inde infantis vagitu miseriarum plena, brevior, eheu, est, quam ut offensae memoriam, alta mente repositam, in perpetuum servemus, et ut, qui Christiani simus, ad tumulum usque quotidiana nos cruciemus recordatione aegrimoniarum, quas seu generosioris animi impetus, seu mens, antiquae sinceritatis Batavae minus obliviosa, seu error, seu livor, seu praejudicatae hominum opiniones, seu incredibilis fere atque clandestina nobisque diu incognita quorumdam timiditas animusque parvus, seu, nescio, quae iniquitas fati, seu plures aliae istiusmodi causae, « *conjecturales magis, ut vere dicam, quam certiores* », nobis, qui, propter viginti trium annorum labores, meliore fortasse digni sorte fuissemus, per breve tempus pepererint.

Crescat igitur, magis magisque crescat, te Rectore, Clarissime NUMAN, Curatores inter, Professores hujusque Academiae alumnos, quae, et sub meo regimine hic loci floruit concordia! Amplificentur atque in dies augeantur salus splendorque Universitatis nostrae, quam hodie duo per saecula et quartam saeculi partem exstitisse, laeti reminiscimur, cujusque idcirco veluti

dimidiatum quoddam Jubilaeum sive festi saecularis quadrantem celebrare possumus; sintque a Batavis Musarum sedibus semper longe remoti tumultus illi atque dissensiones, quae apud vicinas gentes haud raro vel ipsorum juvenum animos exagitant reique publicae literariae tranquillitatem miserum in modum conturbant! Quibus, precamur, votis annuat rerum omnium supremus moderator atque arbiter, Deus justissimus, sapientissimus, clementissimus, Deus, cui pro auxilio mihi, Rectori, hac etiam hora praestito, maximae agantur gratiae, Deus, cui laus sit, honos et gloria in aeternum!

DIXI.

ANNOTATIONES.

P. 183. « CICERO etc. » — Quae tum ex CICERONIS libris *de Oratore*, ex Orationibus pro MILONE, pro ARCHIA, in VERREM, pro LIGARIO, aliis, tum ex QUINCTILIANI *de Institutione Oratoria* aureo opere, ex AULO GELLIO (*Noct. Attic.* Lib. VII. Cap. 5.) ex VIRGILII *Georgicis* (Lib. IV), ex HORATII *Carminibus* (Lib. I. Od. 5, Lib. IV. Od. 2. Epod. Od. 7. Lib. II. Od. 10.) etc., aut verba adduxi, aut effata sententiasve, aut denique totos continuosque versus, nimis nota esse credo, quam ut ad Orationis calcem sigillatim capita vel paragraphos indicem, quibus inveniuntur.

Locus ex SHAKESPEARIO, pag. 210 Latine a me redditus, occurrit in hujus Poëtae inclytissimi tragoedia *Hamlet* (Act. III. Sc. 2.) — Quae autem pag. 192 dixi de ratione, qua fabulas, quas vocant, Romanenses, metro ligatas, quales sunt complures SCHILLERI, BILDERDYKII, TOLLENSII aliorumque, nonnunquam pronuntiandas esse existimarem, ea ad *Declamatoria*, uti vulgo nuncupantur, spectant, qualia, musica comitante, sive sociantibus se cum Pronuntiatione (aut potius alternis cum ea facientibus) instrumentis musicis, plus semel *Groningae* habui, in quibus fictas tales historiolas, laudato declamandi modo minus severo, pro virium tenuitate recitare conatus sum; — id tamen non sine adhibitis, quas eadem pagina percensui, cautionibus provisionibusque.

P. 214. « HOFSTEDE etc. » — Qui de iis, quae ad hujus Viri Amplissimi fata meritaque pertinent, plura legere cupiat, is libellum evolvat, a Doctissimo H. J. NASSAU editum, *Covordiae* 1839 et inscriptum: M^r^. PETRUS HOFSTEDE, *Commandeur van de Orde van den Ned. Leeuw, Oud-Gouverneur van Drenthe, Staatsraad in buitengewone dienst, Curator van 's Lands Hoogeschool te Groningen, Directeur van de Hollandsche Maatschappij van Wetenschappen te Haarlem, Honorair Lid van de Maatschappij van Weldadigheid, in zijn leven en werken.* Cum quo libello conferatur scriptiuncula: « *Drenthe en deszelfs Oud-Gouverneur* M^r^. PETRUS HOFSTEDE, *geschetst door* D^r^. H. J. NASSAU. » (*Overgenomen uit den Algemeenen Konst- en Letterbode*, *N°.* 26 *en* 27 *van het jaar* 1839.)

P. 215. « JANUS BRINKIUS etc. » — Iis, quae de Viro Cl. JANO TEN BRINK in Oratione attigi, nonnulla hic mihi addere liceat, in primis vero, quae edidit scripta breviter percensere. Spero

autem, in posterum fore, ut aliquis, sive sit defuncti filius, Rector Appingedamensis B. TEN BRINK, seu quivis alius, huic non impar provinciae, prodeat, qui BRINKII vitam accurate et copiose enarret illiusque merita debitis persequatur laudibus. (*) Hic loci nil nisi quasdam annotatiunculas dare possum.

Natus fuit BRINKIUS, die 8 Septembris anni 1771, Amstelodami ex parentibus, quos in Oratione nominavi.

Scholas Latinas Amstelodamenses frequentavit, Rectore RICHEO VAN OMMEREN*, elegantissimi ingenii viro, cui plurimum tum in linguis atque Poësi, tum in iis, quae ad pulchritudinis sensum excitandum attinent, se debere BRINKIUS semper professus est, cujusque meritis celebrandis nunquam non delectabatur. Commilitonibus autem amicisque, cum Amstelodami Scholis Latinis interesset et deinceps in urbis Athenaeo literis incumberet, usus fuit J. M. KEMPER, D. J. VAN LENNEP, M. SIEGENBEEK, fratribus A. et J. DE VRIES, DE BORDES aliisque eximiae spei tunc adolescentibus, qui, postquam ad virilem pervenerunt aetatem, doctrinae copia ingeniique dotibus immortalem sibi compararunt famam et quorum non unum lunae similem dixerim, minores, ut Poëta canit, inter ignes micanti.

In Academiam Lugduno-Batavam profectus BRINKIUS, ut literis operam navare pergeret, in primis magno addictus fuit RUHNKENIO, quem plurimi faciebat cujusque lectionibus assiduus interfuit auditor, etsi, ut narrare solebat, duobus tribusve commilitonibus exceptis, nonnunquam (mirabile dictu!) fere unicus. Praeter SCHULTENSIUM, qui ipsi erat in deliciis, JOANNEM LUSACIUM, Virum Cl., maxime coluit. Testantur hoc LUSACII a BRINKIO defensae *Observationes in loca veterum, praecipue quae sunt de vindicta divina. Exercit. Acad. Spec. sec., quod, praeside* JOANNE LUZAC *etc. def.* JANUS TEN BRINK, *die* 16 *Junii* MDCCXCII. *Lugd. Bat. apud* H. MOSTERT 1792; *annexae sunt* X. *Theses.* Inter amicos commilitones, quos Lugduni-Batavorum habuit, SANTENIUS memoratur, Poëta, Musis Latinis valde gratiosus artemque Romanorum metricam ad amussim callens. Neque non tunc temporis ZILLEZENII (qui deinde Scholarum Latinarum Amstelodamensium Rector fuit) familiaritate usus est BRINKIUS, ut ADAMUM SIMONS, Belgicum Poëtam inclytum et Professorem deinceps Ultrajectinum, WENCKEBACHIUM, Virum Amplissimum, aliosque taceam multos, quibus, ut notissimum, BRINKIUS semper carissimus fuit, nec quos ipse minus dilexit.

Quid fuerit in causa, cur TEN BRINK, anno 1795, absoluto fere studiorum Academicorum curriculo, rebus publicis moderandis immisceretur et per breve tempus ad consilium Civitatis adscriberetur Leydensis (*Lid werd van den provisionelen Raad der gemeente van Leyden*), non opus est OEDIPO, qui divinet. Quis enim, cui fervidus juvenili in pectore flagraret animus libertatisque qui amans esset, tristissimis et turbulentissimis iis temporibus, cum vera, tum fallaci illa captatus non fuisset irretitusque libertatis, dicam an licentiae, imagine, quam nobis ostentabant triumphantes Franco-Galli, quaeque patriae, etsi non omnibus crediderim, at multis tamen nominibus, tam nefasta fuit? Nec tamen

(*) Haec spes nos non fefellit. Vid. N[i]. 6, 7, 8, 9 et 10 libelli, cui titulus *Algemeene Kunst- en Letterbode*, anni 1841.

diu perstitit BRINKIUS in nube amplectenda pro *Junone*. Demagogos, cujusmodi magis atque magis, ceu ex Tartaris adjurati, haud pauci exsurgebant, ut ut Patriota, qui dicebatur, perhorruit ille. Hi autem cum anno 1796 a BRINKIO, qui tunc *Hagae-Comitis* scriptor esset diarii, inscripti *Dagblad der Nationale Vergadering*, exigerent, ut ipsorum se addicens partibus, mendacibus res publicas depingeret atque enarraret coloribus, Vir integer fraudibusque purus a scribendo illo diario, quantumvis lucri sibi feracissimo, desistere multo maluit et ad pristina studia redire literaria, quam qui et se ipsum et patriam perversis istis et nequam hominibus auro venderet. — Mense Julio 1796, valde modico contentus salario, quartae classis Praeceptor electus est *Hardervici*, in Gymnasio Nassavio-Velavico, quam provinciam cum Rectoratu commutavit, mense Junio 1799, postquam, mense Majo proxime antecedenti, Rectoris Schiedamensis munus, ubi expetitus fuerat, recusaverat.

Die 14 Aug. 1797, uxorem interea duxerat, quam in Oratione nominavi, Virginem Ornatissimam HELENAM WYVAM GLASIUS, ex qua novem genuit liberos, quorum quinque adhuc in vivis sunt. Ultimo die Novembris 1826, haec BRINKII conjux diem obiit supremum.

Anno 1804, die 20 Sept. BRINKIUS, HERMANNO BOSSCHA, Viro Clarissimo, de literis optime merito, *Hardervico Groningam* vocato, successurus, Historiarum, Latinarum Graecarumque literarum, uti et Eloquentiae etc. Professor creatus fuit in Academia Hardervicena. Quanti eum fecerint omnes studiosi juvenes, saepe audivi grata voce commemorantem fratrem meum affinem EVERARDUM LUDOLPHUM, Baronem ab HEECKEREN, dum in vivis esset, Gubernatorem Coloniarum Neerlandicarum Occidentalium (*Gouverneur-Generaal der Nederl. Bezittingen in de West*), virum, literarum amantissimum, qui, ut multi alii juvenes ex *Zutphania*, urbe mea natali, tunc temporis *Hardervici* in Studiosorum albo nomen professus fuerat. — Inter Professores autem Hardervicenos collegas BRINKIUS sibi prae aliis amicissimos habuit KEMPERUM, REINWARDTUM, NIEUHOFFIUM, CLARISSIUM. Quanta nomina!

Anno 1804, BRINKIUS relatus fuit inter socios Societatis Literarum Neerlandicarum, quae *Lugduni-Batavorum* floret et Belgice dicitur *Maatschappij van Nederl. Letterkunde te Leyden*. Eodem honore a Societate scientiarum Zelandica (*Zeeuwsch Genootschap der Wetenschappen*) ornatus jam fuerat anno 1801. Quo simul anno Summum Reipublicae Batavae Regimen scholarum Inspectorem eum nominaverat in quadam Gelriae parte (*Schoolopziener in het vierde Schooldistrikt van den Ouden Yssel*), quo munere per plures annos functus est.

Mense Majo 1809, BRINKIUS adscriptus fuit Scientiarum Regiae Societati Harlemensi (*Koninkl. Maatschappij der Wetenschappen te Haarlem*), eodemque anno, mense Junio, in Sociorum collocatus numero, qui tertiae classi Instituti, quod Regium dicitur, (*Koninkl. Instituut van Wetenschappen, Letterkunde en Schoone Kunsten*), ab epistolarum commerciis sunt, uti jam, mense praecedente Aprili ejusdem anni, a secunda classe Instituti similem acceperat honoris significationem. Ex classe autem illa priori, aliquot annis post, cum *Groningae* jam cathedram occuparet Professoriam, discessit, paulo iniquiori, ni fallor, animo ferens, quod semper inter Socios Epistolographos (*Correspondenten der klasse*) mansisset, neque ad ipsos

adscriptus fuisset Socios. Circa tempus, quo Academia Hardervicena, NAPOLEONIS decreto extincta esset, BRINKIUS, anno 1812, *Harlemum* fuit expetitus, ut in hac urbe Rector Scholis praeësset Latinis. Gavisus fuit noster, quod e naufragio Harderviceno portum quemdam inveniret atque refugium. Relicto igitur *Hardervico*, ubi per plurimos annos vitam satis beatam, quamvis haud raro inopem, degisset, *Harlemum* penates transtulit et quamdiu illic habitavit, Harlemensibus gratus fuit acceptusque. Excusso autem Franco-Gallorum jugo rebusque patriae restitutis, Rex Augustissimus, mense Octobri 1815, BRINKIUM ad summam in literis dignitatem de integro evexit, Professorem creans in Ordine Philosophiae theoreticae et Literarum humaniorum, qui in Academia est Groningana, qua in Universitate ad mortem usque literas Graecas atque Latinas docuit.

Ex hoc inde temporis articulo BRINKIUS mihi exstitit Collega, cujus et ego et plurimi mecum caeteri Professores Groningani semper admirati sumus tum ingenii dotes doctrinaeque copiam, tum memoriae facilitatem tenacitatemque, tum comitatem animique generosi benevolentiam atque in coetibus nostris hilaritatem. Sed quid hic repeto, quae in Viri aestumatissimi laudes jam in ipsa praedicavi Oratione!

Mortua, uti jam dixi, BRINKII uxore, anno 1826, alteras nuptias iniit, 12 Maji 1828, cum Matrona spectatissima JOHANNA VAN STADEN, cujus prior fuerat maritus ALBERTUS JANUS GLASIUS.

Anno Academico 1832 — 1833, BRINKIUS nostrae praefuit Academiae Rector Magnificus, exactisque, anno 1835, triginta annis, per quos Professor ad docendum se applicasset, annuum stipendium pro quarta parte ex lege auctum fuit.

Tandem, eheu, BRINKIUS, qui caeteroquin valetudine gauderet bona satisque robusta, aestate hujus anni 1839, morbo correptus fuit, quem Medici nomine designarunt affectionis fungosae medularis glandulae submaxillaris cum vomica in pulmonibus, cui morbo, etiamsi initio per plures hebdomades satis haberetur levis, die 2 Octobris 1839, viribus exhaustus et aegrotationis tenacitate plane fractus, succubuit, extremum leniter efflans spiritum, horam inter 3 et 4 post meridiem. Paucis diebus post, sepultus est *Groningae* in sepulcreto sive coemeterio publico, quod meridiem versus extra portam invenitur, quae Belgice dicitur *de Heerepoort*. Requiescant viri boni ossa in pace!

Haec me de BRINKIO annotasse suffecerit. Ex lineis picturam faciant alii! Nonnulla, de Viri Cl. vita et fatis inveniuntur tum in opere Gallico *Biographie des contemporains* et in eo, Germanice scripto, quod *Conversations-lexicon* vocatur, tum, etsi perpauca, in libro, item Germanice scripto, qui inscribitur: *Die Gesammt-Literatur Niederlands*, tum denique post mortem plus semel in Diario *Algemeene Konst- en Letterbode*. — M. SIEGENBEEK, Vir Cl. BRINKII memoriam celebravit, Praeses Soc. litt. Neerl., quae Lugduni Batavorum est, mense Junio 1840. — Imago BRINKII, aere incisa preloque excussa, conspicitur in Musarum Calendario (*Nederlandsche Muzen-Almanak*) anni 1837.

Ecce autem, quae, cum Latine tum Belgice, edidit BRINKIUS scripta majoris minorisve momenti. Viri Cl. filius, Rector Appingedamensis, mihi eorum catalogum suppeditavit, nec tamen ubique ordine chronologico observato.

Redevoering gehouden door den Burger J. TEN BRINK, in tegenwoordigheid van den Provisioneelen Raad en de Gemeente van Leijden in de St. Pieters-Kerk aldaar, op den 17 *Junij* 1795. *Het eerste jaar der Bataafsche Vrijheid. Te Leijden bij L. HERDINGH en D. DUMORTIER.* 1795, 40 *bl. gr.* 8°. Hujus orationis argumentum fuit, quod solus Sapiens liber, omnes vero stulti servi essent.

(cf. *Vaderlandsche Bibliotheek van Wetenschappen, Kunst en Smaak.* VII *D.* I *St. Amst.* 1795, *bl.* 727 *en v.*)

Bedenkingen tegen het voorstel van den Burger C. L. VAN BEYMA, gedaan in de Nationale Vergadering, op Woensdag den 20 *September* 1797: *om door ambtenaren af te doen leggen den eed van haat aan het Stadhouderschap, de Aristocratie en de Regeringloosheid; door JAN TEN BRINK, Praeceptor der Latijnsche Scholen te Harderwijk. Te Amsterdam, bij J. TEN BRINK GERRITSZ.*, 1797.

Het Dagblad der Nationale Vergadering enz. Per aliquot menses anni, ni fallor, 1796, hoc diarium a *BRINKIO* scriptum fuit.

Liber inscriptus: *Brieven over Italie van DUPATY*, tunc fere temporis, ex Lingua Franco-Gallica Belgice redditus est a *BRINKIO.*

JANI TEN BRINK Oratio de Graecorum Romanorumque scriptorum studio, hac etiam philosophiae luce, praestantissimo, publice habita die XIII Decembris CIƆIƆCCXCIX, quum in Gymnasio Harderviceno Rectoris munus solemniter auspicaretur. Hardervici apud *E. TIJHOFF*, Acad. Typog.

JANI TEN BRINK, Gymnasii Harderviceni Rectoris, Oratio pro Graecae linguae studio, habita die XII Jun. CIƆIƆCCCI, ante publicum discipulorum ejusdem Gymnasii examen. Hardervici apud *E. TIJHOFF*, Acad. Typogr.

Verdediging van SOCRATES naar het Grieksch van PLATO, door JAN TEN BRINK, Rector der Latijnsche Scholen te Harderwijk; nec non:

CRITO of wat men doen moet, eene samenspraak van PLATO. Uit het Grieksch vertaald door denzelfden. (Ambo haec inveniuntur scripta in *Vaderl. Mag. van Wet., Kunst en Smaak; te Amst. bij G. WARNARS*, 1801, I *D.* I. *St. bl.* 265 — 318 *en* 581 — 608).

CAJUS CRISPUS SALLUSTIUS, over de samenzwering van LUCIUS SERGIUS CATILINA; benevens vier Redevoeringen van MARCUS TULLIUS CICERO over hetzelfde onderwerp; uit het

Latijn vertaald en met aanm. en opheld. vermeerd., door *JAN TEN BRINK*, *Praeceptor der Lat. Scholen te Harderwijk; te Amst. bij JAN TEN BRINK*, *G. Z.* 1798.

1803. In citato Horreo literario *Vaderl. Mag. van Wet.*, *K. en Sm.*, II *D.* I *St.* diversa occurrunt BRINKII collectanea, inter quae ex. gr. sequens:

Omwenteling te Rome, *door NICOLAUS RIENZI* (*COLA DI RIENZI*) *in den jare* 1347. *Naar het Hoogd. Bl.* 693 — 734 *en bl.* 861 — 894.

Krijgstogt van CYRUS door XENOPHON. Uit het Grieksch vertaald door JAN TEN BRINK, *Hoogleeraar te Harderwijk; te Amst. bij JAN TEN BRINK G. Z.*, 1808.

Quae in opere *Bibliotheek van Oude Letterkunde*, I *D.*, *Amst. bij JAN TEN BRINK G. Z.*, 1808: a *BRINKIO* scripta invenias, sunt: *TIMON en de Vergadering der Goden. Twee zamenspraken van LUCIANUS. Aanteek. op dezelve, bl.* 105 — 162 *en* 455 — 474.

Vergelijking van eenige tooneelen uit de Aulularia van PLAUTUS en den Avare van MOLIÈRE. Aanteek. op dezelve; t. a. pl. bl. 295 — 318.

De drie Olynthische Redevoeringen van DEMOSTHENES. Vertaald door JAN TEN BRINK, *Hoogleeraar te Harderwijk. Aanteek. op dezelve; t. a. pl. bl.* 539 — 607.

In libro *Museum of Verz. van stukken ter bevord. van Fr. Kunsten en Wetensch. door MATTHYS SIEGENBEEK. Haarlem* 1812. *BRINKII* est sequens scriptiuncula:

Iets over den Rei van Corinthische Vrouwen in de Medea van EURIPIDES. Vid. t. t. p. 131 — 160.

Varia attulit BRINKIUS ad libellum criticum *de Recensent ook der Recensenten.* Inter alia epicrisin extensam sive recensionem, quae dicitur, dedit libri, cui titulus est: *N. G. VAN KAMPEN*, *Medea*, *Treurspel. Haarl. bij BOHN*, 1810, (*in het* VI *D. n°.* 5 *van dat Tijdschr. bl.* 209 — 221 *en n°.* 6, *bl.* 270 — 278. *Mei en Junij* 1811).

Medea, *treurspel van EURIPIDES*, *uit het Grieksch vert. door Mr. JAN TEN BRINK*, *Amst. bij JAN TEN BRINK G. Z.* 1813.

Fransche tirannij. Een schoolboek. Amst. bij J. VAN DER HEIJ. Hujus libelli, statim post ejectos Gallos editi, altera paulo post in lucem prodiit editio.

CYROPEDIE of over de opvoeding en het leven van den Ouden CYRUS door XENOPHON: uit het Grieksch vertaald door M^r. JAN TEN BRINK. Amst. bij JAN TEN BRINK G. Z., 1813, II *deelen.*

Gedenkwaardigheden van SOCRATES door XENOPHON; uit het Grieksch vertaald door M^r. JAN TEN BRINK, Hoogleeraar te Groningen. Gron. bij J. OOMKENS. 1819.

Gedichten van M^r. JAN TEN BRINK, Hoogleeraar te Groningen. Amst. bij TEN BRINK en DE VRIES. 1823.

De Zedekunde op de Staatkunde toegepast; om tot Inleiding te dienen voor de Aanmerkingen over de Fransche Zeden in de XIX *eeuw; door E. JOUY, Lid van het Instituut. Uit het Fransch vertaald door M^r. JAN TEN BRINK, Hoogl. te Groningen. Gron. bij W. VAN BOEKEREN.* I. *D.* 1823. II *D.* 1824.

In libro: *Bibliotheek van Oude Letterkunde, uitgegeven door M^r. JAN TEN BRINK, Hoogleeraar te Groningen, tweede deel, Amst. bij TEN BRINK en DE VRIES*, 1824 — 1826, *BRINKIUS* scripsit ipse duo sequentia:

Eerste Philippische Redevoering van MARCUS TULLIUS CICERO tegen MARCUS ANTONIUS. Vertaald door den Uitgever, en aanteek. op dezelve, bl. 113 — 154.

Tweede Philippische Redevoering van M. T. CICERO tegen M. ANTONIUS. Vertaald door den Uitg., bl. 209 — 288, *bl.* 477 — 530.

JANI TEN BRINK Oratio de iis, quae tristia ac laeta Academiae per annum praeteritum acciderunt, publice dicta Gron. a. d. X Octobr. CIↃIↃCCCXXXIII, quum Academiae regimen deponeret. In Annal. Acad. Gron. 1832 — 1833. Gron. ex offic. *J. OOMKENS*, Acad. Typogr. 1834.

Praeter alias fabulas Romanenses, quas (qui calamo scriptorio nonnunquam sibi victum quaerere coactus fuerit) *BRINKIUS* in vernaculum transtulit, enumerari possunt:

De Hermiet in het Eikendal.

Sophia van Norman.

Ferdinand, van MÜLLER, cet.

Belgice etiam reddidit:

EWALD'S Huwelijksleven. (Saltem hujus libri tomum ultimum.)

Operam etiam posuit *BRINKIUS* in Belgice interpretando seu vertendo *XENOPHONTIS Oeconomico*, cujus translationis jam dudum aliquot paginae typis exscriptae fuerunt.

Edenda etiam curavit *BRINKIUS* carmina posthuma tum laudatissimi Poëtae *HELMERS*, tum quae composuerat *VAN HEIJNINGEN BOSCH*, Poëta inclytus Groninganus.

Quae caetera juvenum scripta correxit, emendavit, auxit Vir Cl., innumera sunt.

BRINKIUM igitur valdequam laboriosum fuisse, quisquamne dubitet? Quod eo magis admirandum in illo, qui acie oculorum fuerit obtusiore, imo, quorum propter debilitatem saepe timuerit, ne quando caecus fieret.

ERRATA.

Pag. 192, reg. 11, pro: *quae gravioris*, lege: *quam gravioris*.

» 218, in nota: *deterrimum*, emendes in: *deterius*.

ORDO LECTIONUM

QUAE

DUCE ET AUSPICE DEO O. M.

ANNI DUCENTESIMI VICESIMI SEXTI DECURSU

IN ILLUSTRI ACADEMIA QUAE GRONINGAE EST,

HABEBUNTUR

a die II *Septembris anni aerae Christianae* CIↃIↃCCCXXXIX

ad ferias aestivas anni CIↃIↃCCCXL.

RECTORE MAGNIFICO

BARTHOLDO HENRICO LULOFS.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

CORNELIUS DE WAAL, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, hora IX, *Metaphysicam* tradet; hora XII, aut alia auditoribus commoda, *Philosophiae Moralis* partem alteram, id est *Ethicam* exponet; hora X, *Historiam Philosophiae recentioris per saecula aerae Christianae* enarrabit. Ceterum, si sint, qui *Theologiam Naturalem* tradi sibi cupiant, de hac cum discipulis consilium inibit.

GERARDUS WOLTERS, diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora matutina VIII, *Grammaticam Hebraeam* exponet; hora ante meridiem IX, *librum* EXODI analytice explicabit; hora X, *Literaturam Orientalem* tradet; hora XII, *Antiquitates Hebraeas* interpretabitur. Si qui sint, qui *Coranum* sibi explicari cupiant, cum his consilium inibit.

IANUS TEN BRINK, diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora X, DEMOSTHENIS *Philippicas;* I, loca selecta Poëtarum et Historicorum Romanorum exponet.

Si qui sint, qui IUVENALIS *satiras*, sibi exponi cupiant, iis operam dabit, hora auditoribus commoda. Denique disputandi exercitiis praeësse perget, et scholis paedagogicis vacabit horis, quae auditoribus erunt commodae.

BARTHOLDUS HENRICUS LULOFS, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora XII, secundum manuductionem suam, *Fundamenta stili bene Belgici* exponet, *eaque, quae ad scientiam praestantiae, originis, indolis ac grammatices totius linguae Belgicae, nec non ad historiam literarum Belgicarum pertinent;* additis in primis *recte Belgice scribendi exercitationibus.* — Iisdem diebus, hora solita V, post meridiem, alterum suum compendium secuturus, fusius e *Rhetorica Belgica*, sive ex altioribus *Eloquentiae* ac simul *Poëseos Belgicae* praeceptis, selecta tradet, exemplis ex optimis, cum Belgicis, tum Graecis et Latinis, Gallicis, Germanicis, aliarumque gentium oratoribus atque poëtis desumtis, perpetuo illustrata, et adiunctis exercitiis, quae *Eloquentiae exteriori*, sive vocis et gestuum moderationi inserviant. Reliquis studiosorum desideriis lubens obtemperabit.

GERARDUS IOANNES MEIJER, diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora XII, *Historiam patriam* exponet.

FREDERICUS CHRISTIANUS DE GREUVE, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora X, *Encyclopaediam Philosopiae* explicabit; iisdem diebus, hora XI, *Logicam* docebit; diebus vero Iovis, Veneris et Saturni, hora I, *Historiam Philosophiae antiquae* traditurus, imprimis SOCRATIS, PLATONIS et ARISTOTELIS philosophandi rationem exponet.

PETRUS VAN LIMBURG BROUWER, diebus Lunae, Martis, Mercurii, hora IX, *Historiam Veterem* tradet; iisdem diebus, hora X, *Antiquitatem Romanam;* diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora X, *Antiquitatem Graecam.*

IN FACULTATE IURIDICA.

HENRICUS NIENHUIS, *Ius Civile Hodiernum* intrepretabitur, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis, horâ XI. Si qui sint, qui *Doctrinam Processûs Civilis Hodierni* aut *Ius Cambiale* exponi sibi cupiant, horas auditoribus commodas hisce scholis constituet. Disputationes de hoc iure moderabitur horis, de quibus cum commilitonibus convenerit.

Iacobus hermannus philipse, *Encyclopaediam ac Methodologiam Iuris* tradet diebus Lunae, Martis, Mercurii, horâ IX; *Historiam Iuris Romani* enarrabit diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis, horâ VIII; *Institutiones Iuris Romani* interpretabitur diebus Martis et Mercurii, horâ X, die Jovis, horâ IX et X, *Pandectas* diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora XI. — Disputationes *de Iure Romano eiusque Historiâ* moderabitur die Veneris, horâ XII.

Cornelius star numan, diebus Martis, Mercurii, Iovis, Veneris, horâ VIII, *ius gentium Europaeum* exponet, adhibito saalfeldii opusculo: *Handbuch des positiven Völkerrechts.* Tübingen 1833; horâ IX *ius criminale;* horâ X, die Veneris excepto, *ius publicum* docebit; hora XI *iuris naturalis* principia tradet. — Disputationes de his disciplinis lubens moderabitur, die Mercurii, horâ XII.

IN FACULTATE MEDICA.

Sibrandus elzo stratingh, diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris, horâ X, *Medicinam Practicam;* diebus Veneris, hora XI, et Saturni, hora X, *Diaeteticam cum Medicina Politica* coniunctam; diebus Lunae, Martis et Iovis, hora XI, *Materiam Medicam* cum *Pharmacia Medica* coniunctam et *Semioticam* diebus ac horis postea indicandis tradere constituit. Singulis etiam diebus in Nosocomio Academico aegrotis curandis vacabit, morbosque tractatos Medicinae studiosis subinde de industria paulo uberius exponet. Qui disputando vires suas periclitari velint, illorum desideriis lubens obtemperabit.

Augustus arnoldus sebastian, *Physiologiam* docebit diebus Lunae, Martis, Mercurii, hora VIII atque alternis diebus Saturni hora IX; *Chirurgiam* exponet diebus Iovis, Veneris, hora IX et die Saturni hora VIII, eiusque *Praxin* in Nosocomio Academico quotidie hora media XII; *Anatomen Pathologicam* tradet, *generalem* die Iovis hora VIII, *specialem* morborum pectoris die Veneris hora VIII; *Anatomen* corporis *humani* exponet diebus Martis, Iovis et Veneris, hora media V, et die Mercurii, hora III; dissectionibus cadaverum Anatomicis tempore hyemali instituendis quotidie praeërit.

Iacobus baart de la faille, diebus Lunae, hora VIII et IX, Martis et Mercurii, hora IX, *Artem Obstetriciam Theoreticam et Practicam* exponet;

et in Nosocomio Academico, ad parturientium lectos, qualibet oblata occasione, practice instituet. Diebus Lunae, hora XI et Saturni, hora IX, *Artis Obstetriciae partem Technicam* de industria fusius docebit. Diebus Lunae et Martis, hora X, Mercurii, hora XI, *Pathologiam Generalem* explicabit. Diebus Mercurii et Saturni, hora X, *Medicinam Forensem* tradet. Diebus Martis et Mercurii, hora VIII, *Morbos Infantum* exponet. — Disputationum exercitiis lubens vacare perget.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

THEODORUS VAN SWINDEREN, diebus Lunae et Martis, hora VIII, *Encyclopaediam Philosophiae naturalis* tradet, cui praemittet praecepta *Hodegetica*, sive *de studii ratione recte instituenda*, additis *Paedagogices principiis*. Die Mercurii, horis VIII et III, *Historiam Naturalem Animalium* et *Fossilium*, *inprimis patriae*, et *Animalium*, cum *Anatome comparata* coniunctam, docebit; diebus Lunae et Martis, hora III, vel verno tempore VII matutina, aut alia magis commoda, hoc anno, *Mineralogiam adiuncta Geologia* et *Historia Naturali Mundi veteris* fusius explicabit; die Saturni, hora XII, *Oeconomiam Politicam* exponet.

SIBRANDUS STRATINGH, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora I, lectiones habebit *de Chemia generali et applicata*, illamque duce B. P. DULK vel alio auctore *Chemico* illustrabit. Diebus Lunae et Mercurii, hora XII, *Chemiam Pharmaceuticam* Pharmacopoeae Belgicae accommodatam, practice tradet, et hanc doctrinam duce G. W. SCHARLAU exponet. Denique, diebus Lunae et Martis, hora VI, *Technologiam Chemicam* in usum publicum tractabit, et *recentioribus inventis Chemiae applicatae* ornabit. Si qui porro sint, qui *Exercitiis Practicis Chemicis vel Technicis* operam dare velint, hisce horis matutinis IX — XII die Saturni vacabit et suis consiliis adiuvabit.

HERMANNUS CHRISTIANUS VAN HALL, die Martis hora XII et die Veneris horis VIII et IX, aestivo tempore etiam die Saturni hora VIII, *elementa Botanices* illustrabit. Die Mercurii horis IX et X aget de plantis *medicinalibus* aliisque vario respectu *utilibus*, sive de *Botanica applicata*, ordine Familiarum naturalium. Die Saturni autem, horis X et XI, *Oeconomiam ruralem* docebit.

IANUS GUILIELMUS ERMERINS, diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora XI, *Arithmetices, Algebrae, Geometriae* et *Trigonometriae planae* Elementa exponet; diebus Iovis et Saturni, hora IX, *Stereometriam* et *Trigonometriam Sphaericam* tradet: *Physicam experimentalem* docebit diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora XII. *Astronomiam* nec non *Calculum differentialem et integralem* horis auditoribus commodis exponet. *De Matheseos elementis disquisitio* habebitur diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora pomeridiana III.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

IOANNES FREDERICUS VAN OORDT, I. G. FIL., diebus Lunae et Iovis, hora VIII, tradet *introitum in Theologiam dogmaticam;* diebus Martis, Mercurii et Veneris, hora VIII, *Theologiam Christianam Theoreticam* explicare perget; diebus Lunae et Mercurii, hora IX, *officia antistitum in coetu Christiano* exponet; diebus Martis et Iovis, hora IX, quae ad *institutionem Oratoris S.* pertinent tractabit; die Veneris, hora III, *exercitationes catecheticas* moderabitur. Denique *Pauli ad Titum* epistolam interpretabitur hora auditoribus commoda.

PETRUS HOFSTEDE DE GROOT, diebus Lunae, Martis, Mercurii, hora X, *Historiam Ecclesiae Christianae* inde ab initio usque ad nostra tempora, secundum *Institutiones* suas, typis divulgatas, sic enarrabit, ut hoc anno inprimis *historiam doctrinae* temporum recentiorum sit traditurus; diebus Lunae, Martis, Mercurii, hora XI, *Johannis Euangelium* interpretabitur; die Veneris, hora X, *Institutiones* a se editas secuturus, *Theologiam Naturalem* cum provectioribus commilitonibus exponere perget; die Veneris, hora XI, *Chrestomathiam Patristicam*, a cl. ROYAARDS editam, leget.

LUDOVICUS GERLACHUS PAREAU, diebus Martis, Mercurii et Iovis, hora XII, *Theologiam Christianam moralem* exponet; die Iovis, hora XI, et die Lunae atque Veneris, hora XII, cum loca quaedam *hermeneutices sacrae* exponet, tum *Carmina Mosaïca* cum Commilitonibus interpretabitur.

Disputationibus cum publicis tum privatis de *Locis theologicis*, die Mercurii, hora III, suis vicibus praeërunt Theologiae Professores.

Disputationes publicae per omnes Facultates instituentur diebus Mercurii et Saturni, *ab hora matutina undecima ad secundam, aut a tertia ad quartam.*

Bibliotheca Academica, diebus Lunae, Mercurii et Saturni, *ab hora matutina decima ad primam, et diebus* Iovis et Veneris, *ab hora secunda ad quartam, studiosis aliisque literarum amantibus patebit, iis legibus, quae in aditu ipsius Bibliothecae publice affixae sunt. In feriis autem aestivis Bibliotheca post meridiem non patebit.*

Museum Historiae Naturalis patebit die Mercurii, *ab hora* XII *ad* I.

Museum Anatomicum patebit die Martis, *ab hora* XII *ad* I.

Museum Instrumentorum rusticorum patebit die Martis *ab hora* XII *ad I et die* Iovis *hora* III *ad* IV.

Peregrinarum linguarum, nominatim Germanicae et Gallicae, cupidi suos hic reperient Praeceptores, publica auctoritate ad id constitutos, ut civibus nostris inserviant; neque etiam illi, qui equitandi arte instrui cupiunt, suo destituentur Magistro.

SERIES

DISSERTATIONUM INAUGURALIUM

IN ACADEMIA GRONINGANA

DEFENSARUM

1838. d. 15 Octobris. Specimen Medicum Inaugurale de surditate orta ab impedito aeris aditu ad Cavum Tympani per tubam Eustachianam, defensum a WYBE ENS, Franequera Frisio, *cum laude.*

d. 19 Decembris. Dissertatio Medica Inauguralis de Pemphigo, defensa ab ARENDIO EVERTS, Worcumo Frisio.

d. 20 Decembris. Dissertatio Medica Inauguralis de Electricitatis in morbos efficacia, defensa a GERARDO GULIELMO VAN RIEMSDYK, Hardenbercha Transisalano.

d. 22 Decembris. Dissertatio Politico Medica Inauguralis de cura Publica in civitate Groningana ad Cives sanos et salvos servandos tum veteriore tum recentiore aevo habita, defensa ab HENRICO NANNINGA, Oldambtino ex Pago Veendam.

d. 30 Decembris. Dissertatio Medica Inauguralis de Hysteride, defensa a LAMBERTO GULIELMO VAN DER WEIDE, Doccumo Frisio.

1839. 18 Januarii. Dissertatio Theologica de duplici Principio, unde in Ecclesiâ emendanda exierunt Saec. XVI Reformatores, publice defensa ab ABRAHAMO BOON, Amstelodamensi, *cum laude.*

d. 14 Martii. Specimen literarium Inaugurale de Alcibiadis moribus rebusque gestis defensa a GULIELMO HECKER, Groningano, *magna cum laude.*

d. 20 Martii. Specimen Juridicum Inaugurale nonnullas exhibens observationes de vi legis Decembris anni 1817 de Vectigale pro successione aerario Solvendo in dispositiones Testamentarias ante legem promulgatam morte confirmatas post eam effectum sortitas, defensum a GERARDO GILLES VAN BUTTINGHA WICHERS, ex Pago Winschoten Oldambtino, *cum laude.*

1839. d. 20 Martii. Disquisitio Historica de Juris Civilis docendi discendique via apud Romanos, pars prior argumenti explicationem continens usque ad liberae Reipublicae interitum, publice defensa a JOANNE DE WAL, Franequera Frisio, *magna cum laude.*

d. 1 Maji. Specimen Medicum Inaugurale continens quaedam de Anatomia et Physiologia Glandularum Suprarenalium, publice defensum a DAVIDE COHEN, Smilda Drenthino, *cum laude.*

d. 18 Maji. Dissertatio Chirurgico Medica Inauguralis de muribus Articularibus, defensa a WYBE HESSELINK, Sneka Frisio, *cum laude.*

d. 29 Maji. Dissertatio Juridica Inauguralis nonnullas exhibens animadversiones ad Articulos 295—298, Codicis poenalis, defensa a BARTHOLDO VAN HASSELT, Neomago Gelro, *cum laude.*

d. 8 Junii. Dissertatio Juris Criminalis Inauguralis continens criticam disquisitionem loci, qui est in codice poenali Gallico, de Facinoribus contra bonos mores, publice defensa ab ALBERTO GULIELMO WICHERS, Groningano, *cum laude.*

d. 12 Junii. Dissertatio Historico Theologica, quâ THOMAE A KEMPIS Sententia de re Christiana exponitur et cum GERARDI MAGNI et WESSELI GANSFORTII sententia comparatur, publice defensa a JOHANNE GULIELMO LUDOVICO SCHOLTZ, Austro-Afro, *cum laude.*

d. 15 Junii. Dissertatio Medica Inauguralis de Atrophia infantum, defensa ab HENRICO CANNEGIETER, ex Pago Garrelsweer Groningano, *cum laude.*

d. 19 Junii. Dissertatio de Aethiopica generis humani varietate, publice defensa a JOHANNE NICOLAO RAMAER P. F., Sylvaducensi, *magna cum laude.*

d. 22 Junii. Dissertatio Juridica Inauguralis de Matrimonii dissolutione secundum Codicem Civilem Batavum Comparatum, cum Codice Civili Gallico, publice defensa ab EVERARDO JANO EEKHOUT, *magna cum laude.*

d. 26 Junii. Dissertatio Medica Inauguralis de Ictero Neonatorum, defensa a THEODORO GULIELMO BERNARDO ROODING, 's Heerenbergensi.

eod. Specimen Medicum Inaugurale de delirio tremente potatorum, defensum ab ULRICO JACOBO HUBER, Dronrypâ Frisio.

1839. d. 26 Junii. Dissertatio Medica Inauguralis de superfoetatione, publice defensa a JACOBO NICOLAO VAN CLEEF, *magna cum laude.*

eod. Disquisitio Theologica de Evangelii Natura, publice defensa a MAGTHILDO VAN STAVEREN, Delfshavena Hollando, *magna cum laude.*

d. 27 Junii. Dissertatio Juridica Inauguralis de rerum Corporealium et Incorporealium in Jure Romano distinctione, defensa a JEREMIA FREDERICO ABRESCH, ex Pago Zuidhorn Groningano, *cum laude.*

d. 28 Junii. Dissertatio Juridico Antiquaria Inauguralis de Hasta, praecipuo apud Romanos, Signo imprimis Justi Dominii, defensa a BERNARDO TEN BRINK, Phil. Theor. Mag. Litt. Hum. Doctore et Gymn. Appingad. Rectore, *magna cum laude.*

eod. Specimen Juridicum Inaugurale selectas continens observationes ad Codicem Patrium de Methodo procedendi in Foro Poenale, defensum ab HENRICO LUDOLPHO SYPKENS, Groningano, *cum laude.*

eod. Dissertatio Obstetricio medica Inauguralis de nimia placentae cum utero Cohaesione, defensa a MATTHEA JACOBO VAN DER LOEF, Hattuma Gelro.

d. 29 Junii. Specimen Historico Politicum Inaugurale, de vi, quam revocatio Edicti Nannetensis habuit in Juris Publici Anglici mutationem, defensum a JOHANNE HERMANNO GEERTZEMA, Groningano, *cum laude.*

eod. Disputatio Historico Politica Inauguralis de defectione proavorum nostrorum a Philippo II., publice defensa a NICOLAO DIEDERICO WOLTHERO PETRO DE FREMERY, *magna cum laude.*

NUMERUS STUDIOSORUM

IN ACADEMIA GRONINGANA,

d. XXXI *Decembris* MDCCCXXXVIII.

FUIT 258:

Quorum	Theologiae operam navabant		67
	Philosophiae Theoreticae et Literis Humanioribus		48
	In horum numero censendi his disciplinis operam navantes ad praeparanda Theologiae studia . . .	16	
	et ad praeparanda Jurisprudentiae studia	24	
	Jurisprudentiae		49
	Medicinae		55
	Disciplinis Mathematicis et Physicis		39
	In quibus 30 ad praeparanda studia Medicinae.		
			258

Ex hoc vero numero nemo studiorum causa ex nostra in aliam Academiam profectus est.

ATHENAEUM

FRANEQUERANUM.

NOMINA PROFESSORUM

QUI

ANNO MDCCCXXXVIII — MDCCCXXXIX,

RECTORE MAGNIFICO

SICCONE ENS,

IN ATHENAEO FRANEQUERANO

DOCUERUNT.

MEDICINAE PROFESSOR.

SICCO ENS.

PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

JANUS GUILIELMUS DE CRANE (propter aetatem honorifice rude donatus).
JACOBUS ADOLPHUS CAROLUS ROVERS.
THEODORUS GUILIELMUS JOHANNES JUYNBOLL.

DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

NICOLAUS MULDER.
GUILIELMUS ADRIANUS ENSCHEDÉ.

THEOLOGIAE.

BARTHOLDUS REGNERUS DE GEER (propter infirmam valetudinem honorifice rude donatus).

GUILIELMUS MUURLING.

JURISPRUDENTIAE.

FRANCISCUS DE GREVE.

LECTIONES HABITAE

IN

ATHENAEO FRISIACO,

ANNO QUARTO ET VICESIMO (MDCCCXXXVIII — MDCCCXXXIX).

RECTORE MAGNIFICO

SICCONE ENS.

S. ENS, bis docuit *Osteologiam*; quater *Physiologiam*, ter tum *artem Obstetriciam* tum *Praxin Medicam*, bis exposuit *ossium morbos*, bis item *Chirurgiam*, semel *Medicinam Forensem*. Hiberno tempore *Demonstrationes Anatomicas in corporibus mortuis* quotidie exhibuit.

N. MULDER, ter tradidit *Chemiam*, *Botanicen* vero bis hiberno, sexies verno tempore, bis docuit *Pathologiam;* bis item *materiem medicam et Pharmaceuticam*, bis quoque *Historiam Naturalem* (*Animalium Vertebratorum*).

G. MUURLING, ter docuit *Novi Testamenti Hermeneuticen*, bis exposuit *Varia Theologiae capita.*

G. A. ENSCHEDÉ, quater exposuit tum *Elementa Matheseos*, *tum Physicam Experimentalem*, bis *Stereometriam* et *Trigonometriam Sphaericam*, bis quoque tum *Mathesin Sublimiorem*, tum *Astronomiam*, tum *Logicam.*

J. A. C. ROVERS, bis enarravit *Historiam Patriam*, bis item *Antiquae Philosophiae Historiam*, bis interpretatus est *Plutarchi vitas Pauli Aemilii et Sartorii*, bis item *postremos Platonis de Republica libros*, bis quoque *Taciti vitam Agricolae et aliquot Horatii epistolas.*

T. G. J. JUYNBOLL, quater tradidit tum *Grammaticam* tum *Antiquitatem Hebraicam*, bis vero tum *Arabicam* tum *Syriacam Grammaticam*.

F. DE GREVE, quater tradidit *Juris Romani Historiam*, quater *ejusdem Juris Institutiones*, quater quoque tum interpretatus est *Pandectas* tum *Jus Naturae* docuit.

ATHENAEUM ILLUSTRE

AMSTELAEDAMENSE.

NOMINA PROFESSORUM

QUI

IN ILLUSTRI ATHENAEO AMSTELAEDAMENSI

a. d. VIII *Febr.* MDCCCXXXVIII *ad d.* VIII *Febr.* MDCCCXXXIX

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

CLARISSIMI ORDINIS PRAESES

G. J. ROOYENS.

ACTUARIUS

G. S. SWART.

PROFESSOR THEOLOGIAE.

G. J. ROOYENS.

PROFESSORES JURIS UTRIUSQUE.

C. A. DEN TEX.
J. VAN HALL.

MEDICINAE.

GER. VROLIK.
F. VAN DER BREGGEN, CORN. FIL.
GUIL. VROLIK.
C. B. TILANUS, Professor Honorarius.
G. C. B. SURINGAR, Professor Honorarius.

PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

D. J. VAN LENNEP.
N. G. VAN KAMPEN.
T. ROORDA.

DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

G. S. SWART.
G. H. DE VRIESE, Professor extraordinarius.

LECTOR.

H. DE HARTOG, obiit die XXI Octobris MDCCCXXXVIII.

SERIES LECTIONUM
ET INSTITUTIONUM,
QUAE HABENTUR A PROFESSORIBUS
ILLUSTRIS ATHENAEI AMSTELAEDAMENSIS,

inde a feriis aestivis anni MDCCCXXXVIII *ad ferias aestivas* MDCCCXXXIX.

GISBERTUS JOANNES ROOIJENS,
Theol. Doctor, Theol. et Historiae Eccles. Professor, clariss. ord. h. t. Praeses,

publice, Quaestiones aliquot Theologicas Juventuti disceptandas proponit;
privatim, tradit

Historiam Societatis et Religionis Christianae a Carolo Magno ad nostra tempora, diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, hora VIII matutina,

Theologiae Christianae partem Theoreticam, diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, hora IX,

Theologiae Christianae partem Practicam, diebus Jovis et Veneris, hora X,

Fxegesin novi Testamenti, interpretandis Evangelii Joannaei Capitibus XIV, XV, XVI et XVII, diebus Martis et Mercurii, hora X.

Exercitationes Homileticas moderatur.

GERARDUS VROLIK,
Med. Doct., Botan. et Art. Obstetr. Professor,

privatim, docebit

Obstetriciam theoreticam, diebus Mercurii et Veneris, hora II — III,

Philosophiam botanicam, horis indicandis,

DAVID JACOBUS VAN LENNEP,
J. U. D. Hist. Eloq. Poës. Antiquit. Litt. Gr. et Lat. Professor,

publice, praecipua quaedam Historiae et Literarum capita tractat, vel ipsi juventuti, exercitationis causâ, disceptanda, proponit;
privatim, tradit
Literas Latinas, interpretandis Ciceronis Philippica Secunda, Virgilii Gergicorum Libro Primo; diebus Lunae, Martis, Mercurii et Veneris, hora XII—I;
Literas Graecas, interpretandis Thucydidis prooemio, Homeri Odysseae E, Idylliis Theocriti selectis; iisdem diebus, hora II—III;
Historiam Veterem Universam, iisdem diebus, hora I—II;

FRANCISCUS VAN DER BREGGEN, CORN. FIL.
Med. Doct. Medic. Professor,

privatim, exponit
Pathologiam, diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, hora matutina IX;
Doctrinam de cognoscendis et curandis hominum morbis, diebus atque horis deinceps indicandis;
Medicinam Forensem, diehus Martis et Veneris, horis deinceps indicandis.

CORNELIUS ANNE DEN TEX,
Philos. Theor. Magister, Lit. Hum., Juris Rom. et Hod. Doctor,
Juris Nat., Gent. et publici Professor,

publice, varia loca ex Jure Naturae, Publico et Gentium juventuti disceptanda proponit;
privatim, tradit Encyclopaediam Jurisprudentiae, diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, hora VIII matutina;
Jus publicum, cum universum, tum patrium, iisdem diebus, hora X,

Jus Gentium, diebus Mercurii et Veneris, hora XI.
Historiam politicam et diplomaticam Europae, diebus Martis et Jovis, hora XI,
Statisticam Patriae, diebus Martis et Jovis hora XII.

JACOBUS VAN HALL,
Juris Rom. et Hod. Doctor, Juris Civilis cum Romani tum Hodierni Professor,

publice, selecta quaedam Juris Privati capita juventuti disceptanda proponit;
privatim, tradit
Jus Civile Hollandicum, exponendis ejus principiis, inprimis secundum novum Codicem Juris Civilis, diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, hora VIII matutina;
Jus Romanum, enarrandis Digestorum libris I — XVII, iisdem diebus, hora IX, et explicandis JUSTINIANI Imp. Institutionibus, iisdem diebus, hora X; denique
Jus Maritimum ratione habita novi Codicis mercatorii, diebus Mercurii et Veneris, hora XII — I.

NICOLAUS GOTHOFREDUS VAN KAMPEN,
Philos. Theor. Mag., Litt. Hum. Doctor, Literarum Belgicarum et Historiae Patriae Professor,

publice, partes quasdam historiae literariae Patriae tractabit,
privatim, Styli Hollandici praecepta tradet, et exemplis illustrabit e florilegio suo (*Bloemlezing uit Nederlandsche Prozaschrijvers*), die Jovis, et Saturni, horis XII — II;
Historiam Patriae enarrabit, die Jovis, horis II — IV, et Saturni, horis X — XII;
Historiam Literarum Batavarum exponet, die Veneris, horis XI — I; vel, si auditoribus magis opportuna videtur, II — IV,
Exercitationes oratorias moderabitur.

GUILIELMUS VROLIK,
Med. Doctor, Chirurgiae Theoreticae, Anatomiae, Physiologiae
et Historiae Naturalis Professor,

privatim, demonstrationes anatomicas habebit tempore hiemali, diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris, hora p. m. II,
docebit porro Zootomiam, tempore vernali, diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris, hora matutina X,
Osteologiam, tempore hiemali, diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris, hora matutina X.
Physiologiam, diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris, hora matutina IX,
Methodum Secandi, tempore hiemali quotidie,
Anatomen pathologicam, diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris, hora matutina VIII.

TACO ROORDA,
Phil. Theor. Mag., Litt. Hum. et Theol. Doctor, Linguar.
Orient., Antiq. Hebr. et Exeg. V. F., atque Philos.
Theor. Professor,

privatim, *Grammaticam Hebraeam* docebit, adiunctâ lectione *libri Judicum*, diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, hora X matutina;
Antiquitates Hebraeas; diebus iisdem, hora IX;
Exegesin veteris Foederis, interpretandis *psalmis*, qui *Davidis* nomen inscriptum habent, inde a 16°, diebus Martis et Mercurii, hora XI;
Linguae Arabicae grammaticam, diebus Jovis et Veneris, hora XI.
Cum provectioribus KÖSEGARTENII *Chrestomathiam Arabicam* leget, die Saturni, hora p. m. VI — VIII.
Denique *Logicam* docebit, diebus Lunae et Saturni, hora IX, et die Mercurii, hora p. m. III.

GUILIELMUS SIMON SWART,
Math. Mag. Phil. Nat. Doctor, Matheseos, Physicae et Chemiae Professor,

privatim, docebit
Elementa Matheseos, diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, hora IX,
Physicam experimentis illustratam, diebus iisdem, hora XI,
Elementa Chemiae Generalis, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora III — IV p. m.
Chemiam Pharmaceuticam, diebus Jovis, Veneris et Saturni, hora eadem.

GUILIELMUS HENRICUS DE VRIESE,
Math. Mag. Phil. Nat. et Med. Doctor, Botanices Prof. Extr.,

privatim; docebit elementa botanices, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora matutina VIII,
Pharmacologiam, iisdem diebus, hora IX,
In usum discipulorum provectiorum phytotomiam tradet, iisdem diebus, hora X,
Methodum naturalem et systema Linnaeanum, verno tempore, tradet hora VII,
Excursionibus botanicis praeërit, horis deinde indicandis.

CHRISTIANUS BERNARDUS TILANUS,
Medicinae et Chirurgiae Doctor, Chirurgiae et Artis Obstetr. Professor,

privatim, tradit
Chirurgiam et Obstetriciam theoreticam et practicam, singulis diebus, hora VIII et XII,
Exercitationibus clinicis in Nosocomio praeest, quotidie, hora IX.

GERARDUS CONRADUS BERNARDUS SURINGAR,
Med. Chirurg. et Art. Obstetr. Doctor Medicinae Professor,

privatim, docebit

Therapiam Generalem, sive summa medendi praecepta, diebus Martis, Jovis et Veneris, hora VIII;

Universam morborum singulorum doctrinam, diebus Lunae, Mercurii et Saturni, eadem hora VIII;

Praxin Medicam, ad lectulos aegrotantium, moderabitur, diebus singulis hora XI.

HENDRIK DE HARTOG,

Lector in de Wiskunde, Zeevaart- en Sterrekunde, zal, in geval er geen beletselen plaats hebbén, 's Dingsdags, Woensdags en Donderdags, des middags om *twaalf* ure, in het klein *Auditorium* van het *Atheneum Illustre*, publieke Lessen, in het Nederduitsch, over deze Wetenschappen geven.

ATHENAEUM

DAVENTRIENSE.

NOMINA PROFESSORUM

QUI

ANNO MDCCCXXXVIII — MDCCCXXXIX

IN ILLUSTRI DAVENTRIAE ATHENAEO DOCUERUNT.

J. VERBURG, Theol. Dr. Literaturae Orientalis, Theologiae ac Doctrinae Moralis Professor.

P. BOSSCHA, Phil. Theor. Mag. Litt. Hum. et J. U. Dr. Historiae, Antiquitatis, Eloquentiae et Linguae Graecae Professor.

J. DUYMAER VAN TWIST, Jur. Rom. et Hodiern. Doct., Juris Professor, h. t. Rector Magnificus.

H. BEYERMAN, J. U. Doct. Literarum Belgicarum et Historiae Patriae Professor.

P. O. C. VORSSELMAN DE HEER, Math. Mag. Phil. Nat. Dr., Matheseos, Physicae et Philosophiae Theoreticae Professor.

ORDO LECTIONUM

ALIARUMQUE EXERCITATIONUM ACADEMICARUM,

QUAS

IN ILLUSTRI DAVENTRIAE ATHENAEO,

a. d. XVIII *Septembris* MDCCCXXXVIII *usque ad ferias aestivas a.* MDCCCXXXIX.

FAVENTE SUMMO NUMINE, HABEBUNT

CLARISSIMI PROFESSORES.

JANUS DUYMAER VAN TWIST, *Jur. Rom. et Hodiern. Doct., Jur. Professor, h. t. Rector Magnificus*, Institutiones Iustinianeas explicabit diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris horâ IX. Historiam Juris Romani tradet diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris Horâ X. Pandectas docebit diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris horâ XI. GAJI Institutionum Commentarios exponet tempore auditoribus sibique opportuno. Jus naturae tradet diebus Lunae hora XII, et Mercurii hora X.

JACOBUS VERBURG, *Theol. Doctor, Literaturae Orient. Theologiae ac Doctrinae Moralis Professor*, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, horis postea indicandis, historiam religionis et ecclesiae Christianae enarrabit, duce MUNTINGHIO. Diebus horisque auditoribus commodis, Ethicen Christianam tractabit. Diebus Lunae et Jovis, ante meridiem, horâ X, exemplum praebebit interpretationis librorum N. F. Institutionem interpretis Veteris Testamenti, a Cl. J. H. PAREAU editam, cupientibus lubenter quoque explicabit.

Diebus Martis hora X, Jovis et Veneris, horâ I, initia linguae Hebraeae tradet. Porro provectioribus discipulis, ad penitiorem monumentorum

Hebraeorum cognitionem aditum patefaciet, illustrandis varii styli speciminibus, die Mercurii et Veneris, horâ XI. Praeterea diebus Martis et Jovis, horâ XI, linguam Chaldaicam et Syriacam seu dialectum Aramaeam docebit.

PETRUS BOSSCHA, *Phil. Theor. Mag. Lit. Hum. et J. U. Doct. Hist. Antiq. Eloq. et Ling. Graec. Professor*, *Historiam Veterem Universalem*, ad ductum Compendii sui tractabit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Veneris hora meridiana. Diebus Lunae et Martis hora X, Jovis et Veneris horâ XI *Antiquitates Romanas* explicabit. Diebus Lunae hora XI, Jovis hora VIII et Veneris hora IX interpretabitur HESIODI Opera et dies et LUCIANI Timonem. Diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis hora IX, alternatim exponet CICERONIS orationem pro *Milone* et OVIDII Fastorum Libros primum et secundum. Cupientibus sibi tradi aut *Historiam Literariam*, aut *Praecepta Stili bene Latini et eloquentiae exterioris* lubens obtemperabit.

HUGO BEIJERMAN, *J. U. Doct. Literarum Belgicarum et Historiae patriae Professor*, diebus Lunae, Martis et Mercurii horâ meridianâ Rhetoricam sive Elementa Eloquentiae ad ductum compendii, cui titulus *Nederlandsche Redekunst*, a V. Cl. LULOFS adumbrati, explicabit, additis belgice scribendi exercitationibus. Eloquentiae exterioris, uti vocatur, sive Pronuntiationis exercitia instituet horâ, postea cum auditoribus constituenda. Diebus Lunae hora post meridiem III, Martis et Mercurii horâ XI, observationes selectas ad linguam belgicam pertinentes tradet. Historiam patriae narrabit diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis horâ post meridiem primâ.

PETRUS OTTO CONRADUS VORSSELMAN DE HEER, *Matheseos Mag.*, *Phil. Nat. Doctor*, *Math. Phys. et Phil. Theor. Professor*, Algebram docebit diebus Mercurii, Jovis et Veneris horâ X. Elementa Geometriae explicabit diebus Martis, Mercurii et Veneris, horâ matutinâ VIII. Physicam theoreticam atque experimentalem tradet diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, horâ post meridiem III. Calculum differentialem ejusque usum in theoria Curvarum exponet diebus Jovis et Veneris horâ XI. Logicam, praemissis disquisitionibus Anthropologicis, docebit die Jovis horâ XII et Saturni hora VIII.

Astronomiae primas notitias tradet diebus et horis postea cum auditoribus constituendis. Idem, singulis hebdomadibus, disputandi exercitiis praeesse perget.

J. ANRAAD, *Lector Anatom. Chirurg. et Art. Obst.*, Lectiones suas obstetrit. habebit diebus Lunae et Veneris post meridiem ab horâ II.

GEORGIUS FREDERIKS, Athenaei civium, qui Linguam Germanicam et Anglicam sibi tradi cupient, desiderio lubens satisfaciet.

REDEVOERING

OVER

DE NOODZAKELIJKHEID VAN UITWENDIGEN LUISTER
TER GELUKKIGE BEOEFENING DER WETENSCHAPPEN,
VOORAL IN DEN TEGENWOORDIGEN TOESTAND
DER MAATSCHAPPIJ,

TER INWIJDING VAN

DE NIEUWE GEHOORZAAL

VAN HET

ATHENAEUM

BIJ

HET OVERDRAGEN VAN HET RECTORAAT,

gehouden den vijf en twintigsten van Wijnmaand 1838,

DOOR

Mr. J. DUYMAER VAN TWIST.

L 1

AAN

DE REGERING DER STAD DEVENTER

EN AAN

DE CURATOREN VAN HET ATHENAEUM

ALDAAR,

WORDT DEZE REDEVOERING

MET VERSCHULDIGDEN EERBIED OPGEDRAGEN

DOOR

DEN AUTEUR.

EDEL ACHTBARE HEEREN BURGEMEESTER EN WETHOUDEREN VAN DEVENTER, LEDEN VAN DEN RAAD DEZER STAD, VERZORGERS VAN HARE DOORLUCHTIGE SCHOLE!

WELEDELE, HOOGGELEERDE HEEREN, HOOGLEERAREN IN DE ONDERSCHEIDENE TAKKEN VAN WETENSCHAP EN LETTEREN AAN DEZE DOORLUCHTIGE SCHOLE, ZEER GEACHTE AMBTGENOOTEN!

ZEER GELEERDE HEER LECTOR IN DE ONTLEED-, HEEL- EN VROEDKUNDE!

EDEL ACHTBARE HEEREN VOORZITTER, OFFICIER EN LEDEN VAN DE REGTBANK!

WELEDEL GESTRENGE HEEREN GEHEIMSCHRIJVERS BIJ HET STADS- EN REGTSBESTUUR, EN BIJ DAT VAN HEEREN CURATOREN!

WELEERWAARDE, ZEER GELEERDE HEEREN BEDIENAREN VAN DE CHRISTELIJKE GODSDIENST!

WELEDELE, ZEER GELEERDE HEEREN DOCTOREN IN HET REGT, DE GENEESKUNDE, DE LETTEREN EN WIJSBEGEERTE!

EDELE JONGELINGSCHAP, KWEEKELINGEN DEZER DOORLUCHTIGE SCHOOL!

ZEER GEËERDE TOEHOORDERS VAN WAT RANG EN STAND OOK, DIE DEZE PLEGTIGHEID DOOR UWE TEGENWOORDIGHEID LUISTER BIJZET!

Het is voor den deelnemenden beschouwer der menschelijke zaken eene hoogst gewigtige aangelegenheid, zoo wel als eene stof van innige vreugde, wanneer hij verlichting en beschaving onder alle rangen en standen der menschen toenemen, en daardoor den grond gelegd ziet tot algemeen geluk, tot de duurzame welvaart en voorspoed van huisgezinnen en Staten. Is hij tevens een beoefenaar van kunsten en wetenschappen; mag hij, boven anderen be-voorregt, de bewijzen aanschouwen van toenemende en opregte belangstelling in alles, wat tot den bloei van dezelve kan medewerken: hooger nog wordt dan zijn gevoel tot dankbaarheid gestemd, dat hij een tijdperk mag beleven, waarin deze en gene vóór hem zoo gaarne de vervulling van innige en vurige wenschen zoude hebben aanschouwd.

Deze hooge vreugde mogen wij thans smaken, nu wij eene nieuwe gehoorzaal harer waardig zien geschonken aan eene inrigting, waarop ieder ingezeten dezer Stad, wien het belang der wetenschappen ter harte gaat, met regt roem draagt; en het is mij eene streelende gewaarwording, de eerste in dezelve het woord te mogen voeren, haar aan de beoefening der wetenschappen toe te wijden, en van de Hoogleeraren en Kweekelingen der Doorluchtige School, van u allen, Stadgenooten! de tolk te mogen zijn der gemeenschappelijke hulde, die wij aan ons Bestuur toebrengen. Dat Bestuur heeft voor den bloei van het hooger onderwijs en voor den uitwendigen luister van het Athenaeum nieuwe opofferingen gedaan, en alzoo op eene treffende wijze aan den dag gelegd, hoe gaarne het de hoogere vorming der jongelingschap wil bevorderen. Aan den wensch van vroegere en van de tegenwoordige Hoogleeraren is thans voldaan, nu het ons weder vergund is op eigenen grond onze Academische plegtigheden te verrigten. Gelukkige school, die op deze wijze hare behoeften vervuld, haren luister verhoogd ziet!

